This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

KC
16014

2455.
KC 16014

BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE GIFT OF
STEPHEN SALISBURY,
OF WORCESTER, MASS.
(Class of 1817).

Dec. 18, 1866.

5½.134

PROMPTUARIUM SENTENTIARUM.

pp 115-116
missing
4/30-1920

PROMPTUARIUM SENTENTIARUM

EX

VETERUM SCRIPTORUM ROMANORUM LIBRIS

CONGESSIT

E. F. WUESTEMANN.

Te longinqua petens comitem sibi ferre viator
Ne dubitet: parvo pondere multa vehis.

Phocas in Anthol. Lat.

EDITIO ALTERA

EMENDATIOR ET AUCTIOR.

CURAVIT

MAURICIUS SEYFFERTUS.

IN USUM SCHOLARUM.

NORDHUSAE,

APUD FERD. FOERSTEMANN.

MDCCCLXIV.

KC 16014
~~£155~~

1866, Dec. 18.
Salisbury Fund.

UNICO FRATRI OPTIMO
CAROLO CHRISTIANO.

Redit ad te, carissime frater, libellus, quem ut conficerem tu mihi suasor auctorque extitisti. Meministi enim, cum per duos illos annos, qui turbulentas seditionum et discordiarum in Germania tempestates secuti sunt, ut aliquando post operosam vitam quietis aliquid tibi concederes, in patria urbe versabaris et, quo nihil potuit mihi laetius accidere, eosdem mecum lares colebas, cum alios nos habuisse de rebus ad omnem doctrinam pertinentibus sermones mihi quidem periucundos, tum frequenti commemoratione abs te celebratam esse eam veterum scriptorum praestantiam, quae in crebra esset gravissimarum sententiarum usurpatione posita. Iure ac merito tu, qui veterum simplicitatem atque gravitatem cum recentiorum elegantia atque subtilitate coniungere consuesti, hanc ita propriam veterum scriptorum iudicabas virtutem, ut iis, qui nostra aetate ad aliquam scribendi laudem adspirare velint, quod iam prius dicta et egregie quidem dicta nisi cum lectorum taedio repetere non liceret, plane esset interclusa. Miram autem in eiusmodi sententiis inesse vim dicebas, quippe quarum et concisa brevitas alte in pectus descenderet et aperta veritas ad strenue agendum excitaret. Ac iuvenibus praecipue quam primum fieri posset hunc antiquitatis velut thesaurum censebas recludendum esse, in quorum ani-

mos quo maturius virtutum semina coicerentur, eo certiores habitura esse radices. Quae quam vere essent dicta, temet ipsum addebas saepenumero usu expertum esse. Atque haec quidem antiquitatis studiorum utilitas tametsi neminem posset fugere, eius tamen commodam non omnibus querebare concedi opportunitatem, siquidem libellus desideraretur, cuius ea esset ratio, ut, quae gravissima apud veteres de omni vitae ratione et institutione proposita essent praecepta, sub unum posita conspectum quaerentibus facile paterent. Non surdis auribus cecinisti. Libellum, qualem deesse litterarum studiosis dictitabas, confeci, confectum iam tibi sic mitto, ut fraterna voluntate oblatum benevole te accepturum esse sperem.

Poteram hic ego, postquam, qui tui sermones ad edendum hoc sententiarum promptuarium causam mihi praebuerint, in memoriam tibi revocavi, scribendi finem facere. Sed sive iucunda communium studiorum recordatio sive provectior iam aetas paulo loquaciorem me fecit, parvam, nisi molestum tibi erit, exigui temporis usuram ad confabulandum tecum mihi expeto. Iuvat enim memoria repetere, quae nobis optimarum artium discendarum fuerint initia, qui in iis progressus, quae studiorum adiumenta, quae eorundem ab optimis ducibus nobis impetrata comprobatio, quae denique paratae ex iis utrique nostrum voluptatis communio.

Antiquarum igitur litterarum amorem a teneris, si puerilis institutionis tempora respicimus, cupide imbi-

bimus, adolescentes diligenter coluimus, nunc in ea aetate constituti, qua longius a carceribus remoti propius a meta absumus, eundem constanter servavimus. Ac tu quidem maiore cum laude et uberiore cum fructu. Nam si quid ego studii in has litteras contuli, id muneris mei ratio ita postulavit, ut, si aliter facerem, officio defuisse viderer, et si quid commodi inde habui, id omne intra musei parietes et scholae umbram modeste continui. Tu vero, cum propter gravissima officii munera perquam exiguum tibi reliquum esset otium, quantum temporis alii ad voluptates vitae sibi concessum arbitrantur, tantum tibi ad haec studia colenda sumpsisti; idem, qui ex iisdem fructus ad communem omnium utilitatem possent transferri, in alto dignitatis loco constitutus exemplo tuo egregie comprobasti. Sed quod uterque, et ego et tu, mature in hanc ingenii voluntatem adducti sumus, id debemus et optimo parenti et praestantissimis praeceptoribus et aliis discendi quas habuimus opportunitatibus. Quarum quidem rerum memoriam cum grata mente iam mihi repetendam sumo, earum recordationem tibi quoque non iniucundam fore spero.

Ac primum quidem, mi Carole, quid de optimo patre dicam? cuius ea in nos fratres extant merita, ut nunquam satis iustas ei tribuere laudes possimus. Causarum erat patronus et tam propter incorruptam integritatem spectatamque fidem quam propter magnam iuris civilis prudentiam legumque scientiam ab omnibus, summis infimis, in urbe agrisque, quam diu vixit,

perpetua observatione colebatur. Si quae sibi causa iniusta videretur, eam non suscipiebat; susceptam a se ac probatam fortiter ac strenue agebat, nec curabat, dum fidei ac religioni satisfaceret, si forte praepotentem in civitate hominem offenderet aut laederet. Consulentes non tantum consilio, verum etiam re atque facto iuvabat. Tam singularis in eo ponebatur fides adeoque ab omnibus agnoscebatur animi candor et officiosa voluntas, ut — o raram nostris diebus simplicitatem! — vel ii, qui lites adversus eum agerent, plus semel libros, quibus in sua scilicet causa uterentur, ex instructissima eius bibliotheca et peterent et acciperent. Veritatis amorem et professionem omnium ducebat virtutum antiquissimam et gravissimam. Procul ab omni verborum iactantia quae ipsi displicerent multa cum libertate in aliis notabat, sed tam aperto animo, ut qui eius verba aegre ferret neminem extitisse sciamus. Ceteroquin in alios aequus, severus in se tum demum excandescebat, cum susceptam fraudem videret aut iniuriam aliis illatam animadverteret. Sic vivebat omnium, qui eum noverunt, benevolentia florentissimus, etiam eorum, qui non interiorem eius notitiam habebant, reverentia cultus. Virtutum suarum conscientia fretus quamquam munus non petiverat nec unquam gratiam cuiusquam quaesiverat, tamen, quod qui ei muneri praeficeretur non dignior repertus est ullus, id muneris ei ultro deferebatur, ut, quae fisco suscipiendae essent causae, eas apud iudices ageret. Quod a causis agendis reliquum erat tempus liberalibus studiis

impertiebat. Praestantissimos nostratium scriptores studiose lectitabat, quod eam vim habuit, ut haud vulgarem Germanicae linguae sibi facultatem pararet. Itaque eius scripta non ieiunam illam et exilem ostendebant orationem, quam iurisconsultorum illa aetate vulgus prodebat, sed elegantia et munditia conspicuam. Etiam Gallorum litteris operam dabat et optimorum qui Gallice conscripti sunt librorum lectione valde delectabatur. Sed Latinarum litterarum amantissimus erat earumque habebatur elegantissimus arbiter. Nullum facile meministi intercedere diem, quin vel negotiorum varietate distentus vel in domesticarum curarum cogitatione defixus unum ex iis scriptoribus, quos aurea aetas tulit, in manus sumeret eiusque lectione delectaretur. Ac totus in iis habitabat eorumque praeceptis in quovis vitae statu se regi passus est. Probavit hoc vel extremis diebus vitae, qua defunctus est die 27 Novembr. MDCCCXXIII. Nam cum ad eum, qui mentis viribus uteretur integris, sed in incredibilem corporis imbecillitatem recidisset, aliquid, si possem, solatii allaturus venissem, ex Persii satiris, quem poetam raro e manibus dimittebat, illos versus sibi recitari postulabat, in quibus iustam de vitae humanae fragilitate atque infirmitate effundit poeta querelam. Tenes verba, quae in mente habebat, sed adscribam tamen:

Petite hinc [ex Cleanthis sapientia] iuvenesque senesque
Finem animo certum miserisque viatica canis.
..... **Cum lux altera venit,**

Iam cras hesternum consumpsimus et semper paulum erit ultra.
. . . . . .
Vive memor leti: fugit hora, hoc quod loquor inde est.

Quae tremebunda voce proferebat, quousque sanae mentis ero, nunquam ex animo effluere patiar. Sed mittamus tristem illius horae memoriam, siquidem hodie laetandi potius et gratandi materiam habemus. Est enim hic dies, quo has ad te do litteras, is ipse dies, quo ante hos CXIV annos (die 9 Mart. MDCCXXXXII) pater in lucem editus est, ut recte deo grates agamus, quod ei, per quem generati sumus, vitam largitus est, nobis vero tanti boni usum concessit. Ad haec reliquit pater laetam sui vivi imaginem, quam ita animo nostro repraesentemus, ut quid eius disciplinae, severiori quidem illi, ut illorum temporum ratio ferebat, sed tamen ab omni asperitate remotae, debeamus, grata mente recolamus. Nobis igitur pueris, qui patri probari mirabiliter cupiebamus, ardentem earum litterarum, quarum voluptate ipsius animus expletus erat, instillavit amorem eumque sic firmavit in nostris animis, ut nunquam ab eo discesserimus.

Optimi patris consilia mater, quae nostrum amantissima fuit, quantum in ipsa erat, prudenter adiuvit. Ea nobis tantum aberat ut molli illa educatione, quam indulgentiam vocamus, mentis corporisque vires frangeret, ut, cum de patris sapientia ipsi persuasum esset, ad eius disciplinam nos fingere studeret. Ceterum patris moribus mater ita dispar erat, ut ille antiqui mo-

ris atque habitus tenacior domi potius se contineret, haec praesentia cupidius complectens hominum coetus et celebrationes lubenter obiret. Acri erat in rebus gerendis ingenio, ut vel ultra mulierum morem periculum non detrectaret, modo voluntati satisfaceret. Cum miti esset ingenio deumque summa religione coleret, pietatem virtutum omnium fundamentum nobis praedicabat et in placida quietaque constantia, quae quicquid hominibus accidat patienter ferre iubet, nobis exemplo praeivit. Sic formabat nos mater ad religionem, non illam cerimoniarum inani saepe choragio stipatam vel in speciosa virtutum ostentatione se iactantem, sed tacito sinu inclusam ac divinae providentiae fiducia conspicuam. Hoc salubri quod uterque parens servabat temperamento, cum iustae patris severitati conveniens matris lenitas immisceretur et ad illius simplicitatem et gravitatem huius alacritas et facilitas, etiam pietatis commendatio, accederet, quantum ipsa nobis profuerit, verbis dici vix potest.

Primae institutionis, uti par erat, partes erant patris. Is satis liberaliter nos habuit. Nam cum industriam nostram et diligentiam non desideraret, quae ageremus nostro arbitrio permisit. Mature idoneos nobis libros in manus dabat et exquisitae in quovis fere doctrinae genere bibliothecae copiam ita nobis faciebat, ut utilissimorum librorum notitiam iam pueri nobis pararemus. Quam primum fieri potuit, gymnasio, quod in patria urbe floret, in disciplinam nos tradidit. De cuius doctorum illo tempore praestantia,

celebritate discipulorum, severitate disciplinae, excellenti etiam apud exteros fama nunc non est locus uberius dicendi. Doctorum nomina, qui tum gymnasium Gothanum ornabant, cum magna celebritate famae sint, satis est sola commemoratione apposuisse. Praeceptores igitur venerabamur Doeringium, Kaltwasserum, Lenzium, Gallettium, Regelium, Kriesium, Schulzium, Ukertum, qui, ut in suo quisque litterarum genere excellebat, ita omnes laudabili contentione certabant, ut discentibus quam plurimum prodessent. Ac tibi, utpote quadriennio fere maiori, contigit, quod in magna felicitatis parte tibi ponendum recte arbitratus es semper, ut Friderici Iacobsii fruerere institutione. Cuius praestantissimi hominis quam praeclara fuerit eruditio atque doctrina in maxima varietate litterarum, quam insignis docendi solertia atque facultas, quam singularis morum suavitas atque elegantia, quanta denique humanitatis vis, et alio loco fusius disserendi mihi facta est potestas, et si tibi, Carole, pluribus enarrare vellem, nae ego tempori tuo parcere nescirem. Sed singularis eius in te amoris atque benevolentiae recordatione hodie ita fruare, ut tibi aliquando, cum secundae classis discipulis adscriptus esses, Heynianam Tibulli editionem ob insignem quam in Latina lingua discenda praestitisses diligentiam muneri dedisse cum sincera animi voluptate memineris. Ad invidendas discendi opportunitates, quas illa bonarum artium quasi officina nobis praebuit, aliae etiam accesserunt, quibus optimorum principum liberalitas urbem nostram locu-

pletavit. Illorum autem instrumentorum, quibus litterae apud nos iuvantur, tanta est copia atque excellentia, ut vix alia Germaniae urbs, quae ambitu suo nostram aequet, cum ea possit in comparationem venire.

Sic studiorum nostrorum ratio, cum haud contemnenda haberemus adiumenta, pulcre processisset, nisi per bellorum, quae post annum sextum huius saeculi saevierunt, calamitates aliqua interpellatione essent impedita. Nam ea iam insecuta sunt tempora, quibus Germania bellis continuis vastaretur, maximaque in plurimas civitates per tyrannorum edicta, per belli ductorum avaritiam, per militum libidines importarentur mala. Ac licet per Augusti ducis, quem divinitus tum principem Gothanis datum esse nobis persuademus, prudentem moderationem animique aequitatem et constantiam effectum sit, ut bellicas molestias et calamitates terrae Gothanae minus senserint quam aliae, tamen non omnia incommoda a nobis averti potuerunt. Nam ut alia omittam, perpetuis effrenatorum militum itineribus etiam nostrorum civium opes valde attritae sunt et paterna res familiaris haud parvam iacturam fecit. Nostra autem studia per eundem belli tumultum importunissima interpellatione, quae tolli nullo modo poterat, impedita sunt. Multorum casuum adversorum, qui nobis inciderunt, animum subit recordatio; sed subsistam intra duo exempla. Agebamus solemnia paschalia anni MDCCCXIII. Imperator Gallorum cum ingenti exercitu, quo iunctos cum Russis Borussos debellaturus erat, usque in nostrae terrae fines progres-

sus erat. In parvo oppido nostro quadraginta fere milia militum, qui plerique praetoriani erant, collocati erant; unus pater quinquaginta praetorianos domo sua recipere iussus erat. Omnes vici plateaeque militum cohortibus refertae erant; nil audiebatur nisi armorum strepitus, centurionum voces, militum clamores. Scholae iam ex aliquo tempore non habebantur; in gymnasii peristylia quod imperatum nobis erat aut a Gallis advectum frumentum erat congestum. Erat is ipse dies, quo Christi doctrinam professurus sancteque polliciturus eram ad eius praecepta vitam me acturum. In vicini cuiusdam domo te subministrante vestimenta sumpsi. Nullo comitante per militum turbas incedebam, solus sacras aedes intrabam. Non aderant, qui mos esse solet, parentes sacri ritus testes, non consanguinei, non familiares et amici. Tympanorum sono obstrepente Loeffleri, qui sanctissimae professionis cerimoniae praeerat, nulla ad aures nostras ferebatur vox; coetu dimisso solus, ut veneram, in patris domum redibam; reversus quae milites vellent expectabam; eorum voluntati praesto eram. Quemadmodum illius rei recordatio menti inhaerebit, quoad vivam, ita neque eius, de qua nunc relaturus sum, ex animo discedet memoria. Post pugnam illam Lipsiensem, qua Napoleonis omnis fracta vis est, incerti cladis acceptae rumores etiam ad nos allati erant, sed nondum quisquam iis fidem habebat. Patri persuasum erat hostium exercitum, si, quod vix fieri posse videbatur, fusus esset, versus Magdeburgum se recepturum esse,

quod locus hic munitissimus certissimum fugientibus allaturus esset praesidium, et hoc persuasum erat patri ita, ut nihil provideret ipse eorum, quae providenda erant, si universa et fugientium et persequentium vis in nos redundaret; nos vero securos esse iubebat. Crebriores iam manabant rumores, sed non obtinebant, multo minus patris animum movebant. Quae iam tibi, Carole, narrabo, eorum memoria ita inhaeret menti, ut res ante oculos geri videatur. Scholas habebamus postmeridianas, non intendebamus animum in praeceptoris verba; nam omni cogitatione ferebamur ad ea, quae proximo tempore eventura erant. Repente Doeringius, gymnasii director, intrabat; suspenso animo expectabamus quae vellet. Nuntiabat equitum turmas Russorum adesse, iam forum obsidere, passim per plateas ferri; iubebat nos sedato gradu abire et in sua quemque tecta discedere. Quo censes modo haec a nobis accepta esse verba? Qui promptum alioqui rectori praestare solebamus obsequium, nihil amplius auribus admittebamus quae nobis praecipiebat; contineri non poteramus, effusi ferebamur in vias. Qui tum offerebatur adspectus! Videbamus, ut poetae verbis utar rei imaginem egregie effingentis,

Duris . . . . . permixtos Gelonis
Ire sagittiferos Bechiras
Teque, o navalem qui Tanain 'bibens
Confisus hastae cuspide, cetera
Securus, effusis iubatum
Certus equum moderare frenis.

Praeter modum elata iam omnium laetitia, utpote cer-

tam iam spem habentium patriae ab hostibus liberatae. Sed hac tum opinione mox deiecti sumus. Nam pauci illi confoederatorum exercituum praecursores impetum subsequentium Gallorum, quorum turbata quidem agmina erant, sed agmina tamen erant numero longe superiora, sustinere non poterant. Per tres dies totidemque noctes fugientium continuabatur iter; primo die frequentioribus latrociniis incolis suburbium inhabitantibus infesti facti sunt; altero et tertio die praeter urbem transducebantur agmina; novissima ordinibus incompositis effuse veniebant et cursim pergebant ad loca Rheno propiora. Urbi quidem pro tempore utcunque parcebatur, sed in vicis promiscue praedabantur milites et per magnam noctium partem lucidus coeli ardor tam propinquorum quam longinquorum incendiorum speciem praebebat. Interim fama, quae omnia in maius extollit, Gottingam, ubi tu studiorum causa versabaris, pervenerat urbem ipsam incendio flagrare, summa imis apud nos misceri. Tu cum aliquot amicis Gothanis huc festinabas inter multa pericula, cum pedes iter faciebas primum per media exercituum confoederatorum agmina, tum per Gallorum fugientium catervas. Sospes ad sospites cum pervenisses, magna omnium laetitia, postquam aliquot dies ad quietem tibi dedisti, post ingratam illam intercapedinem ad studia intermissa revertisti.

Sic multis modis studiorum nostrorum rationem interpellatam esse, quamdiu belli sedes his in terris erat, facile est ad intelligendum. Verum mentis ani-

mique neque tum facta mutatio est, cum illud bellum exarsisset, quo tandem foedissimum servitutis iugum, quod a Gallis nobis impositum erat, excussum et Germania a communi et teterrimo hoste liberata est. Cui bello cum nobis vel per aetatem vel per patris auctoritatem non liceret interesse, gravissimarum tamen rerum, quae tum agebantur, vicissitudines atque eventus nos ita tenebant intentos, ut per illud quoque tempus minus in libris haereremus, sed toto animo ad armorum tumultum et ad belli incendium conversi essemus. Quid multa? cum litterarum studia tum de manibus nobis excussa esse libere fatemur, et illius temporis necessitatis excusationem habemus et post quae praetermissa erant diligentia et assiduitate compensavimus.

Scilicet tu certum ad quod te totum applicares iam delegeras litterarum genus, mihi vero id etiam deligendum erat. Cum studia non sola utilitate metiretur pater, ut eis disciplinis vitam dicaremus permisit, ad quas animi propensione adduceremur. Huic ita indulgebamus, ut quas pater mente complexus erat doctrinas inter nos quasi dispertiremus. Cum neuter animum ab alterius studiis ostenderet alienum, ego humanitatis studia eximie excolenda mihi sumpsi, tu in iurisprudentia, qua pater prae ceteris praefulgebat, vitae quasi tabernaculum posuisti. Ac tu quidem, mi Carole, primum vitae academicae spatium semestre Ienae transegisti, quo peracto patris liberalitate tibi concessum est ut Gottingam migrares; mihi contigit ut eodem beneficio usus omne illud tempus, per quod lit-

terarum studiis operarer, Gottingae consumerem. Erat illa urbs tunc doctorum in quovis doctrinae genere excellentium claritate praestans omnibusque ad doctrinam pertinentibus opibus copiisque affluens, regibus qui litteras litteratosque homines foverent et externos quoque et advenas munificentia sua allicerent parens, cives denique intra pomoerium alens, qui omni vita atque victu exculti atque politi essent. Non mirum igitur, quod ingens nobilissimorum iuvenum multitudo non ex angustis Germaniae finibus, sed ex remotissimis terrarum orbis regionibus in eam urbem confluueret, non solum ut animum doctrina excolerent, sed etiam ut morum elegantiam atque humanitatem sectarentur. Felicissimos uterque Gottingae, quo paulo post tuum inde discessum me contuli, degimus annos, tam doctorum hominum, qui litterarum antistites habebantur, usu atque hospitio honorati, quam optimorum sodalium, quorum studia aemularemur, consuetudine atque amicitia fortunati. Nullo unquam tempore bonorum, quorum usura tunc frui nos voluit benignior fortuna, ex animo excedet memoria. Tu, mi Carole, Gustavi Hugonis potissimum gratia atque favore florebas; ego in Dissenii et Welckeri caritate et benevolentia rerum mearum decus positum arbitrabar. Utrique nostrum professoria provincia destinata erat. Te expectabat, si res ex Hugonis sententia successisset, doctoris in eadem Georgia Augusta munus, ut iustam almae matri rependeres gratiam; me Asopius Epirotes, qui iam quadragenario maior studiorum causa Gottingae versabatur, perillustri viro Guil-

ford, qui Corcyrae litterarum universitatem cum summa sui etiam privati hominis liberalitate conditurus erat, ita commendaverat, ut ad Latinarum litterarum professionem me invitaret. Sed res utrique nostrum aliter evenit. Vel patris voluntati, qui interim senex factus domesticum filiorum convictum desiderabat, obsecuti vel fortunae, quae in omni re dominatur, arbitrio cedentes in patria urbe sedem ac domicilium constituimus. Nec est quod huius consilii nos unquam poenituerit.

Sic quod nascentes vidit solum quasi theatrum factum est, in quo virorum exercerentur vires. Ac decet nos, te, qui magnam vitae partem Gothae transegeris, me, qui sedem nunquam alio transtulerim, cum grato animo profiteri et prae nobis ferre, quae patriae urbis, cum munera suscepissemus, nobis oblatae sint commoditates. Sed ne studio quodam et amore captus cupidius quam verius agere videar, alio utar teste eoque omnium gravissimo. Fridericus Jacobsius est, quo neminem tu, mi frater, lubentius audias. Habitamus igitur nos, ut ipsa eius verba ponam, in ea urbe, quae inter mediocres Germaniae urbes non mediocri felicitate gaudet. Nam si quis Pacuviano illo *invectus alitum anguium curru multas et varias gentes et urbes despicere et oculis collustrare possit*, multasne reperiat, quae pro suo modulo plures ad litteras et artes opportunitates offerant pluresque sinu cives foveant, qui oblatis his commodis prudenter utantur? Quantum autem est in ea urbe vivere, qua cum litterarum studiis libertas coniuncta est, leges coluntur, magistratus observantur,

iustitia sanctissime administratur, mores ad elegantiam exculti spectantur, et, quae hac aetate non minima laus est, mediocritas illa dominatur, in qua Peripateticorum sapientia virtutis solium collocavit! Haec igitur de urbis nostrae conditione illo ipso tempore scripsit Fridericus Iacobsius, et scripsit verissime. Sed quod aliud tum propositum habebat vir praestantissimus, non dixit de summo illo bono, quod nobis obtigisse et etiamnunc servatum esse vere gloriamur, libertatem dico sentiendi dicendi scribendi docendi quae quis velit: quae quidem libertas, cum integra semper et illibata, quantum per nostros principes licuit, esset Gothanis concessa, parens et velut procreatrix extitit illius laudis, quam honesta doctorum hominum de litteris bene promerendi certatio parvae huic urbi peperit.

Cum te patris vota patriis laribus reducem reddidissent, non petenti munus offerebatur, quod et satis honorificum esset et aditum tibi patefaceret ad ampliores dignitatis gradus. Sed quod tibi cedere debebat alius quidam, cum quo una aetatem degeras, qui, priusquam tu pedem inferebas, munus iam erat ingressus, cum nolles ex alterius incommodo tuam occasionem petere, illam spem protinus abiecisti. Cuius consilii, quod unice te decebat, bonam mox tulisti frugem. Nam Friderico Iacobsio, qui qualis esses plane perspectum habebat, Augusto duci et eius consiliorum sociis tam graviter tamque diligenter commendatus es, ut statim sub ipsorum oculis tirocinium poneres. Quodsi magnam quam moveras expectationem non destituisti, magna ex

parte id debes Adolpho de Hoff, quem recte fortunae tuae quasi alterum habes parentem. Nam optimus hic homo, cuius nomen etiam ex scriptorum praestantia clarum factum est, sicubi duce opus erat ac monitore, gressus tuos suis rexit consiliis earumque rerum, quae ad munus tuum pertinerent, benevole edocuit usum. Idem in gravioribus negotiis, quae alterius adiumentum desiderabant, tuam sibi commodari voluit operam. Sic anno duodevicesimo huius saeculi recordaris te cum Hoffio Vimariam esse missum, ubi cum aliis in ea civitate pollentibus dignitate viris consilia agitarentur de academia Ienensi instauranda; legatos autem optime de hac universitate meruisse constat, cum, qua arte academiae difficultatibus succurrendum esset et quo modo ei opitulandum, non solum reperirent, sed etiam quam rationem suaderent ineundam esse principibus suis probarent. Vimariensis illius commorationis cum aliae fuerunt commoditates, tum gratissima haec, quod in Goethii quoque notitiam veniendi illo tempore tibi facta est potestas, qui tui sermonis suavitate ita detinebatur, ut plus semel quae narravisses in pugillares referret. Praeter illam legationem cum alia quoque quae tibi committebantur maioris momenti negotia facile et ex sententia eorum, qui tibi mandaverant, expedires summosque illos, quos antea dixi, homines dexteritatis tuae et solertiae testes haberes, factum est ut non lento gradu honoribus procederes.

Iam redi mecum, Carole, in memoriam eorum, quae mihi per illud tempus obtigerunt. Aliquot annis post-

quam tu in fortunae quasi portum quendam venisti, demandatum est mihi praeceptoris munus in gymnasio huius urbis, quo nihil accidere mihi potuit exoptatius. Nam cum beata mihi semper visa sit sors eorum hominum, qui iuventuti litterarum studiosae operam navant, quod id genus hominum quieta fere et aequabili vitae ratione utitur et unice in litteris tractandis occupatum est, tum illo potissimum tempore iuniorum animos plurimae ad docendi munus expetendum allicere et excitare debebant opportunitates. Nolo equidem in praeteritae aetatis laudes ita excurrere, ut ingratus esse videar adversus eas, quibus novissimo tempore fruor, vitae commoditates atque prosperitates, quas eiusmodi esse lubens confiteor, ut spreto omni honorum splendore in hac sortis mediocritate haud gravate acquiescam. Sed ne idem pro beneficiis pridem acceptis meritam debitamque gratiam non retulisse dicar, ipsa sermonis serie inducor vel potius impellor, ut, quod tibi quoque legenti non iniucundum erit, breviter attingam, quam sincero amore Augustus dux litteras artesque amplexus sit, qua animi propensione litteratos homines foverit. Prudens praetereo hoc loco eas Augusti virtutes, quibus princeps insignem se praebuit; earum et iustum praeconium alii egerunt et tu verus laudator extitisti in brevi, sed diserta de eius vita enarratione, quam paucis diebus post eius mortem in ipsa doloris acerbitate scriptam inseruisti libello, qui quotannis ex hac urbe prodit, in quo principalium Europae familiarum propagines enumerantur; verba mea in iis continebo, quae

ad litterarum artiumque studia pertinent. Fuit igitur Augustus, qui arcto vinculo Musas et Gratias in tota vita consociatas esse voluit, litterarum et artium non fautor tantum et patronus, sed intelligentissimus et acutissimus iudex. Erat in eo singularis ingenii perspicacitas, exculta iudicii elegantia, magna studiorum varietas, haud vulgaris doctrinae copia, accurata inprimis historiae litterariae scientia, quae tanta fuit, ut, cum de re quadam eo spectante dissereret, vel iis, qui in eo litterarum genere habitarent, iustam sui admirationem iniceret. Insigne tam promptae doctrinae exemplum, quod tibi quoque compertum, exprompsit Eichstadius in eo libello, quo Augusti ducis laudes ad immortalitatis memoriam consecravit. Quid vero tibi, Carole, referam et ad scribendum se dedisse ducem et eos ingenii foetus edidisse, qui inventionis laude, compositionis arte, fingendi audacia nulli cedant, quid, inquam, tibi referam, cuius potissimum opera, si quid extremis annis scriptura persecuturus erat, usus sit? Tute igitur optime scis, quam verum modo de Augusti scriptis iudicium pronuntiaverim; sed posteros quoque, si qui velint iudicare, testes esse volo: nam duodecim volumina accurate perscripta, quibus ingenii opera Augusti ducis nondum edita continentur, in bibliotheca publica reposita esse sciant. Unum tantum libellum in vulgus edi voluit, qui Cyllenii nomine inscriptus est, de quo Eichstadius et Iacobsius retulerunt; alterius, in quo scribendo et edendo te adiutorem adhibuit, paucissima exemplaria, quae amicis dono daret, typis sunt

excussa, ut non mireris falsos de illo libello in vulgus manavisse rumores. Quos refutare nunc non est locus; iuvat potius in memoriam tibi redigere, animo et virtute praecellentissimo viro Bernhardo de Lindenau suasore consociatam illam cum duce scribendi operam abs te susceptam et id, quod in proposito erat, impetratum esse, ut ducis scilicet animus, qui, quod quaedam minus iucunda tum ei acciderant, in morositatem incidere videretur, aliquamdiu exhilararetur. Si quid novi in litteris, etiam ad antiquitatem pertinentibus, allatum erat, id cupide aut legebat ipse aut de ea re ab aliis sibi referri voluit. Quid impedit, quominus nunc saltem palam faciam illum libellum, quo Mazois, clarus tum apud Gallos architectus idemque omnis antiquitatis peritissimus homo, fictam a se aedium, quas Scaurus Romae extructas habuerit, descriptionem exhibuit, quod dux id gratum sibi fore significaverat, a nobis fratribus communi opera in patrium sermonem esse versum et accessionibus quibusdam auctum esse foras datum? Modestia prohibet plura proferre, quae nos privatim tangunt: quae tanto magis sunt silentio premenda, quo plura ad litteras publice tuendas et ornandas praeclare instituit. Quod argumentum si ita persequi liceret, ut et possem et cuperem vel maxime, latissimus in quo exsultare posset oratio mihi apertus esset campus. Sed haec quoque nunc mitto, quamquam eorum memoriam nunquam desistam pia mente recolere et, quotiescunque occasio tulerit, ore ac scriptis palam profiteri.

Augusto successit Fridericus frater, cuius virtutes

ostensae magis a fato nobis sunt, quam in aliquam diuturnitatem concessae. Friderico quoque regnante nullam artem nobis defuisse fatendum est, quae vel ad civitatis florem et prosperitatem vel ad litterarum dignitatem et amplitudinem valere videretur. Quam gratiosi apud eum docti homines essent, quanto in honore habiti, cum omni tempore ostendisset, tum per tres annos, quibus imperium obtinuit, luculenter comprobavit.

In hoc principe extincta est domus ducum Gothanorum et Altenburgensium, qui, cum summam regni administrandi gloriam in tuendis pacis artibus posuissent, neque alias virtutes neglexerunt, quibus exercendis de civibus suis optime mererent. Quarum recordationem, quae etiamnunc popularium animos tenet, maxime a nobis, qui litterarum studiis vitam consecravimus, suscitari atque ali par est. Beatos Vos iure praedicamus summisque laudibus dignos, qui Vestris virtutibus effeceritis, ut quod his terris inde a multis saeculis impertiri soleret felicitatis cognomentum integrum et illibatum servaretur.

In magna quae consecuta est rerum publicarum conversione magna nostrarum quoque rerum facta mutatio est. Tu, mi Carole, quamdiu tribus illis ducibus parebamus, qui, quod cognatione stirpem nostrorum principum attingebant, per aliquod tempus nostrae terrae imperium coniunctim tenebant, Hildpertohusae degisti, quae tum sedes erat communiter administrati regni. Post, cum sui orbatis provinciis obtigissent principes ex hereditatis iure constituti, cum Friderico duce, ad

quem Altenburgensium terrarum ditio pervenit, Altenburgum commigravisti, ubi novam fortunarum sedem collocavisti. Cum novis usque honoribus auctus esses, — da hoc fratri, ut ne silentio comprimat quod et ipse penitus sentit et omnium consensu confessum est — semper muneris religiosissime peracti conscientiam habuisti; nunquam opinioni famaeque, quaecunque rerum subiit vicissitudo et commutatio, inserviisti, nec unquam principum favorem petisti aut aulae splendorem secutus es. Quo effecisti, quod raro iis evenit qui in tam alto dignitatis loco constituti sunt, ut parem haberes principum gratiam atque civium amorem et ut utrumque constanter omni tempore servares. De perpetua nec unquam intermissa apud principes gratia quid multa commemorem? Fridericus, dux ille venerabilis, simulatque te, frater, cognovit atque intellexit, tibi confisus est, tibi se credidit; tua potissimum consilia secutus, cum primum regni apud Altenburgenses aditum haud facilem haberet, quod extinctam principum Gothanorum domum maxima omnium fere rerum secuta conversio erat, brevi effecit, ut sua novis civibus conditio non tolerabilis modo, sed grata etiam videretur esse et ut bene secum actum esse omnes confiterentur. In eodem loco fuisti apud eius filios, qui et paternis et propriis suis virtutibus conspicui pari laude post eum regnum obtinuerunt. Ac Iosephus quidem, qui unus adhuc superstes est, — et ut diu superstes sit, ex animo optamus, — te, qua est pietate, a patre hereditate quasi acceptum unice probavit; post apud

Georgium, cui ille regnandi pertaesus terras Altenburgenses sponte in ditionem tradidit, eandem benevolentiam iniisti. Quid? quod nunc quoque, postquam te ad otium contulisti, Ernesti nepotis, feliciter nunc regnantis, studium ac favorem retinuisti, cuius apertam significationem, cum ante hos duos annos, quo tempore Germaniae philologi Altenburgum convenerant, tui revisendi laeta mihi facta esset copia, his oculis vidi.

Quod autem civium censuisti ut firmissimum principibus imperii munimentum esse, ita principum quoque amicis muneris recte obeundi spem, praebere certissimam, hunc amorem mature tibi conciliasti nec unquam amisisti. Caritatis suae Altenburgenses non dubia documenta cum omni tempore tibi dederunt, tum, quod tibi longe exoptatissimum esse debuit, satis luculenta eo ipso anno, quo effrenata temerariorum hominum licentia vix ulli pepercit, ii vero, qui ad imperii clavum sedebant, calumniantium iniurias omnium minime effugerunt. Ac recte cadere in te videntur illa veteris scriptoris de Pomponio Attico verba. Quodsi, sic ait ille, gubernator praecipua laude fertur, qui navem ex hieme marique scopuloso servat, cur non singularis eius existimetur prudentia, qui ex tot tamque gravibus procellis civilibus ad incolumitatem pervenit? Tu vero, frater, non ad incolumitatem modo pervenisti, sed aucta etiam existimatione a rerum gerendarum theatro recessisti, et aucta quidem apud populares et exteros, apud principes et cives. Et hodie quoque vel exteros principes eorumque amicos magnam in te fiduciam ponere

et tuum consilium exquirere eique obtemperare, licet tu ipse non prae te feras, compertum habeo.

Sed nolo occupare ea, quae, quod post sunt facta, non recte priorem in narrando habent locum. Redeo illuc.

Cum plurimis iisque periculosae aleae plenis negotiis implicitus omni tempore fuisses nec unquam tibi parceres, dum alii in rebus gerendis minus acres atque industrii, ut fere solet fieri, honores atque commoda adipiscerentur, non eam, quam debebas, in valetudine tuenda adhibebas curam. Non mirum igitur, quod malum, cuius causas non tollebas, latius in dies serpebat. Nervorum remissio, quam hodie dicunt, iam diu corpus labefactaverat, sed ingravescente malo ante hos decem et tres annos in vitae discrimen adductus esse videbaris. Convenerant eo anno Altenburgum honestissimi homines, qui rei rusticae et saltuariae scientiam profitentur eandemque in usu habent. Splendidus erat eorum consessus et plurimorum, qui ex remotioribus etiam regionibus advenerant, frequentia celebratus, Altenburgensium autem, qui hac laude semper clarissimi extiterunt, hospites laute atque magnifice apud se excipiendi incredibile studium. Tu omnium suffragiis congressionibus praeesse iussus eam de his rebus in contrarias partes disputandi subtilitatem atque dexteritatem ostendisti, eam artis, quam nunquam ante attigeras, probavisti scientiam, ut in eo genere te habitare crederent. Altenburgensium laudes mirum in modum ab omnibus praedicari, tuum nomen clarum haberi. Sed si quid inde honoris ornamentum ad te ac-

cessit, magno tibi id stetit pretio. Nam cum iam ante longa imbecillitate affectus te supra vires extendisses, non mirum videri debet, quod propter nervorum valetudinem corpus paene collapsum est. Illo quidem anno marinis usus nihil fere profecisti; eadem curatione aliquot insequentibus annis adhibita levari quidem aliquantum videbaris, sed ex incommoda valetudine emergere nunquam posthac potuisti. Et nisi Iosephus dux, cuius animi benignitas non adaequari potest nisi ceteris eius virtutibus, perindulgens in te fuisset atque omni modo tui muneris labores sublevasset, iam tum ab omni rei publicae administratione abeundum tibi erat. Haec tua erat vitae valetudinisque conditio, cum quadragesimus octavus huius saeculi annus, qui toti patriae funestus erat futurus, supervenit. Nondum novarum rerum, quas Galli et in pravis etiam rebus ad eorum imitationem facile se dantes Germani molirentur, rumor aut fama ad te pervenerat, cum medico, quo utebaris et etiamnunc uteris, artis suae experientissimo, Iulio Goepelio, cui plurimam salutem impertias te valde rogo, non suadente, sed urgente et tantum non postulante muneris vacationem petebas. Goepelius autem censebat certissimaque declaravit testificatione tui corporis vires ita debilitatas esse, ut, si diutius in statione maneres, una cum corpore etiam animi ingeniique vires succubiturae essent, quae res haud parva ipsi rei publicae allatura esset incommoda. Cum amplissimo verborum honore tuam unice salutem respiciens dux optimus te dimisit; grato te prosecuti animo sunt Al-

tenburgensium terrarum incolae, ac multi saepe postea, quos hic vidi, tui revisendi causa peregrinationes Gotham susceperunt: quid? quod qui de re publica consulturi Altenburgi tum versabantur ex omnibus civium ordinibus delecti eum tibi discedenti habuerunt honorem, ut cuncti salutandi causa ad te venirent et pro summis tuis in Altenburgensium terram civesque meritis tibi publice gratias agerent.

Sic honoribus cumulatus, sed corpore debilitatus in patriam urbem et in fratris amplexum redisti. Ex hoc tempore per aliquot annos, qui aegre divelli nos olim passi fueramus, in iisdem aedibus ita coniunctim vixi-mus, ut uterque de alterius sorte laetandi iustas publice privatimque haberemus causas.

Gothanorum terrae is et olim fuit et nunc quoque est status, ut plurimi nobis hanc invideant felicitatem. In summa, quae per generosissimi animi ducem nobis oblata est libertate, quae tanta est, ut cum nostris institutis non aliud Germaniae regnum possit in comparationem venire, a temeritate et proterva licentia adeo abhorremus, ut qui violentis rerum conversionibus faveat apud nos reperiatur nemo. Ea est in legibus ferendis sapientia, in iisdem custodiendis constantia, ea in iure dicundo lenitas et vero etiam in suum cuique tribuendo iustitia, ea in tributis imperandis moderatio, ea non principis solum, sed qui ad eius exemplum se componunt summorum magistratuum petenti cuique aditum patefaciens comitas, ea porro delationes factitantium contemptio, ut, quantum per rei publicae con-

stitutionem fieri potest, vera populo parta esse videatur felicitas. Ad haec per eorum, qui hanc terram inhabitant, industriam omnis generis artes atque opificia fervent, nullis coercita impedimentis. Litteris tandem qui habeatur honor ab eodem principe, quem Musarum castra non minore studio et successu quam Martis sequi non vana praedicamus affirmatione, apud exteros quoque pervulgatum. Sic nihil nobis deerat, quin publice fortunatam degeremus vitam.

Sed privatim quoque vitam agere nobis licuit felicem. Cum aegro corpore ad nos accessisses, quantum illud sit bonum, si quis recte valeat, ipse in te, Carole, expertus sensisti. Quod igitur si non integram, at commodiorem tamen in patria urbe nactus es valetudinem, sive muneris vacationi id debes, sive salubriori loci naturae, sive, quod facile credimus, utrisque his causis hoc adiuvantibus et efficiendi quasi sociis, plurimum ad iucundiorem vitae fructum contulit. Non minorem vim ad convictum utrique exhilarandum habuit, quod nobis coniugio fortunatis eae uxores obtigerunt, quae concorditer inter se congruentes id unice spectarent, — quod hodie quoque iis propositum esse gaudemus — ut, quantum in se esset, felicitatem nobis praestarent. Quas parvus hortus aedibus contiguus praebebat voluptates, communes habebamus; arbores serenti mihi, flores colenti tu praesto eras. Quid multa? omnia gaudia una gaudebamus et sic consociati vivebamus, ut paterna domus nos iterum recepisse videretur. Quotidie licuit de lit-

teris tecum miscere sermones, ex quibus non voluptatem modo, sed fructum etiam permagnum me cepisse gratus profiteor. Hic ipse libellus, utcunque de eo iudicabitur, familiarium illorum sermonum testis est. Cum ad amicos, quos ego habebam, etiam ii accederent, quos tu reperisti vetere consuetudine tibi iunctos, — et ii quidem permulti sunt, siquidem omnes qui te norunt etiam amant — frequens nobis cum iis intercedebat consuetudo, quae quidem ipsa longe iucundissimae mihi extitit vitae causa.

Verum iterata haec nostrum coniunctio non perpetua erat futura. Georgius dux, in piorum sedes iam receptus, magno tui tenebatur desiderio. Cum plus semel ab eo invitatus, quod valetudo nondum satis erat confirmata, a te impetrare non posses, ut hac urbe relicta Altenburgum redires, dux ipse aestate anni MDCCCLII te revisurus et, si fieri posset tibi persuasurus, ut se sequereris, Gotham profectus est. Itineris socium habuit fratrem sui amantissimum, Iosephum ducem. Ambo tum principes, cum hic versarentur, praesentes praesenti mihi in his ipsis aedibus venerari licuit. Quod dixi venerari mihi licuisse, non inane verbum posui. Mira in utroque erat cum comitate iuncta gravitas, ingenium litteris artibusque egregie excultum et, quod maius est, tam fraterna unanimitas, ut simile quicquam alibi vix reperias. Qui regno sponte cesserat, alterius laudare consilia, efferre consiliorum eventum; qui regnum adeptus erat, per alterum effectum esse, ut res bene procederent, serio affirmare.

Quod his principibus sic animatis tuum muneris tuendi studium probare potuisti, magnum ego duco.

Iunctis amborum principum precibus, quamquam diu haerebas, quid faceres, te, mi Carole, deesse non potuisse et iam tunc intelligebam, et nunc penitus agnosco. Revocatus in eam urbem, quae te suum vindicabat, mihi iterum valedixisti.

Quodsi tuum a patria discessum et a me seiunctionem dolenter tuli, in magno tui tuorumque desiderio haud parvum solatium ex ea mihi cogitatione ortum est, quod corpore semotus mente propinquus fuisti. Hoc fraterni amoris vinculo, quamdiu vivemus atque spirabimus, nos coniunctos fore non est quod dubitem. Te, frater optime, numen supremum mihi tuisque diutissime sospitem et incolumem servet, ardentissimis precibus oro rogoque. Vale.

LECTURIS SALUTEM.

Cum in eo, quem in lucem editurus sum, libello non ipse scribendi periculum fecerim, sed veterum auctorum, quorum sententias retuli, verba posuerim, miro quodam casu accidit, ut praefandi etiam negotium vetus pro me scriptor paene totum susceperit. Nam quae Aurelius Theodosius Macrobius Saturnaliorum libros Eustathio filio inscripturus ad doctum opus suum commendandum protulit, ea ad meum consilium ita sunt accommodata, ut eadem ego mei libri commendatione recte uti posse mihi videar.

Id egi, haec sunt Macrobii paucissimis immutatis verba, ut quicquid mihi in diversis Romanae linguae voluminibus elaboratum est, id totum sit tibi, quicunque hoc libello uteris, scientiae supellex et quasi de quodam litterarum peno, si quando usus venerit dicti memorabilis reminiscendi, facile id tibi inventu atque depromptu sit. Nec indigeste tamquam in acervum congessimus digna memoratu; sed variarum rerum disparilitas ita in quoddam digesta corpus est, ut quae indistincte atque promiscue ad subsidium memoriae annotaveramus in ordinem instar membrorum cohaerentia

convenirent. Sententias ipsis verbis quibus ab ipsis auctoribus sunt expressae protuli, quia praesens opus non eloquentiae ostentationem, sed noscendorum congeriem pollicetur. Itaque notitiam vetustatis ipsis antiquorum fideliter verbis recognosces, prout quaeque se transferenda suggesserint. Apes enim quodammodo debemus imitari, quae vagantur et flores carpunt, deinde quicquid attulere disponunt ac per favos dividunt. Nos quoque quicquid diversa lectione quaesivimus commisimus stilo et in ordinem digessimus; nam in animo melius distincta servantur.

His Macrobii verbis pauca habeo quae addam.

Disposui et digessi sententias collectas ita, ut commodum conspectum praebeant et ut a quaerentibus facile quod quis maxime velit reperiatur. Disponendi rationem non omnibus pariter probatum iri praevideo; verum qui aliter de singulis statuant, eos rogatos volo, ut neque eam quam ipsi insistant viam ceteros omnes ingressuros esse secum reputent. In apponendis sententiis aliis parcior, aliis liberalior quam decebat fuisse videbor; nimirum in hac quoque re omnium desideriis satisfacere potest nemo. Multo plura nullo negotio me dare potuisse affirmanti mihi intelligentes facile credent; sed in delectu modum adhibere, quam quae obvia essent effundere malui. Si qui forte offendant, quod interdum contrarias inter se de eadem re sententias allatas reperiant, ii consulto id a me factum esse sciant, ut veteres ipsos in diversas sententias saepe discessisse comparantibus constet. Ceterum optimas veterum

scriptorum adhibui editiones locosque accuratissima notatione significavi.

Iam faustis eat auspiciis libellus et plurimos, si fieri potest, patronos et fautores sibi quaerat. Scripsimus Gothae die 31 Mart. MDCCCLVI.

E. F. W.

Ipsis duobus mensibus postquam hanc tamquam cygneam vocem plenissimam pietatis ediderat vir tam vita quam aetate integerrimus, ex inproviso accidit ut morbi vi gravissimi oppressus paene in medio cursu corrueret. Luxerunt casum tristissimum non modo Gothani cives, quorum in oculis semper habitaverat eosque in sinu unice gestaverat, sed fere quantum ubique est litteratorum hominum, quorum nemo est, cui non vel multiplicem rerum antiquarum scientiam scribendique elegantiam admirabilem libris, quos plurimos atque utilissimos composuit, vehementer probasset vel singularem naturae bonitatem liberalitatemque consiliis eorum quacumque ratione adiuvandis egregie praestitisset. Sed nolo refricare animum tantarum virtutum desiderio ac memoria: quas quorum interest accuratius cognoscere, ad ea eos remitto, quibus vel post ipsum funus collegae et amici viri carissimi memoriam orando scribendoque prosecuti sunt, *orationem* dico in *memoriam Ern. Frid. Wuestemanni habitam* a *Frid. Bergero*, quae formis expressa est in programmate

gymnasii inlustris Gothani a. 1857, et *Ern. Fr. Wuestemanni memoriam*, quam scripsit *O. E. Georges* Gothae a. 1857, vel quae expectantur etiamnunc ab iis, quibus hoc tamquam hereditario iure officii iniunctum est, ut et relicta ab litteratissimo viro varia ac dispersa opuscula in unum colligant et ex epistulis, quarum usum cum plurimis et maximis illius aetatis viris studiosissime celebraverat, quaecumque et ad ipsius vitam et ad illorum vel hominum vel temporum rationes certius cognoscendas pertinent, ea in lucem prolata cum eruditis communicent. Nunc nostra nobis res agenda est et quomodo huius aurei libelli — sic enim et est et eius simillimum olim opus ab Ioachimo Camerario et Michaele Neandro inscriptum est — repetendi curam susceperim explicandum. Etenim petenti viro honestissimo, Ferd. Foerstemanno, qui prioris redemptoris casu in huius libri possessionem venerat, cum divenditis exemplaribus novam editionem pararet idque negotium mihi vellet mandare, ita putavi esse obsequendum, ut et ipsius auctoris demortui iura honoremque religiose tuerer et redemptoris commodo atque adeo omnium utilitati quantum possem servirem. Nam cum facile factu esset numerum sententiarum, quem habet superior editio, novis augere atque

cumulare atque ita ex tenui libello grandem facere, tamen omissa hac ipsa exiguitate, quae praesertim summum haberet et deligendi iudicium et discribendi sollertiam, magnopere verendum videbatur, ne vel prudentissimi viri deliberatum consilium arbitratu meo perverterem vel de lepore modicique apparatus elegantia multum detraherem vel ipsius libri ut ambitum ac pretium augerem ita aditum ad pervulgandum deminuerem minusque eum vendibilem redderem. Nunc et partium discriptio, in qua ille non inmerito gloriabatur, tota servata est nec quicquam additum nisi quod ipse, dum vivebat, nitidissima manu tamquam addendum perscripserat, quae ad nos transmissa suo quidque loco inserenda curavimus; paucissima numero, quae minus commoda videbantur, delevimus. Ipsi omnium maxime id unum egimus, ut scriptorum, quibus ille usus erat, locis iterum conferendis et ad optima exemplaria componendis quicquid in verbis numerisve peccatum esset, quae quidem nescio quo pacto plurima esse invenimus, diligenter corrigeremus, quem laborem taedii plenissimum amicissimi viri memoria ac recordatio mirifice mitigavit. Denique quoniam videbatur eiusmodi esse libellus, qui omni aetati cum delectatione prodesse et aditum non ad viros modo perfectos

elegantioresque, sed ad pueros etiam ad humanitatem informandos habere posset, duplici eundem induimus cultu ad utramque rationem vel magnificentiae vel vilitatis accommodato. Quod reliquum est, vehementer optamus, ut quod ipse huius opusculi conditor in eo exaedificando secutus est, id re et eventu comprobetur. Ut ille praeclaro quodam documento, ad quas potissimum rationes antiquarum litterarum studia revocanda censeret semperque revocasset, testificatus est, sic nostros homines cupimus neque humilius sentire et hoc egregium animorum tamquam pabulum eo, quo par est, studio et amore amplecti.

M. Seyffertus.

PROMPTUARIUM SENTENTIARUM.

Gravissimae sunt ad beate vivendum breviter enuntiatae sententiae.

Cic. de fin. 2, 7, 20.

L. S. In Seneca philosopho citando veterum locorum discriptionem ita secuti sumus, ut paragraphos tamen accommodaremus novissimae editioni Teubnerianae.

M. S.

A. DE DEO.

I.
DEUM ESSE CERTUM EST ISQUE HOMINIBUS COLENDUS.

1. Deus a solo homine cognoscitur. Nulla non gens aliquos deos credit.

Nullum est animal praeter hominem, quod habeat notitiam aliquam dei, ipsisque in hominibus nulla gens est neque tam mansueta neque tam fera, quae non, etiam si ignoret qualem habere deum deceat, tamen habendum sciat. CICER. de legg. 1, 8, 24.

Nulla gens tam fera, nemo omnium tam est inmanis, cuius mentem non imbuerit deorum opinio. Multi de dis prava sentiunt, omnes tamen esse vim et naturam divinam arbitrantur. CIC. Tusc. 1, 13, 30.

Nulla gens usquam est adeo extra leges moresque proiecta, ut non aliquos deos credat. SENEC. Epist. 117, 6.

2. Deus ex operibus cognoscitur.

Deum non vides, tamen deum adgnoscis ex operibus eius. CICER. Tusc. 1, 28, 70.

3. Frustra agunt qui in dei locum naturam substituunt.

Nihil agis, ingratissime mortalium, qui te negas deo debere, sed naturae. SEN. de ben. 4, 8.

4. Poenis adficiendi qui religionem minuunt.

Gravioribus poenis adficiendi sunt qui religionem minuunt quam qui fana spoliant. Corn. Nep. Ages. 4, 8.

II.

DE DEI POTENTIA, PRAESENTIA, IUSTITIA, BENIGNITATE.

1. Deus omnia efficere potest.

Nihil est quod deus efficere non possit.

Cic. de div. 2, 41, 86.

2. Deo sunt omnia subiecta.

Nihil rerum humanarum sine dei numine geritur.

Corn. Nep. Timol. 4, 4.

Nil ita sublime est supraque pericula tendit,
Non sit ut inferius suppositumque deo.

Ovid. Trist. 4, 8, 47.

3. Deus omnibus locis et omni tempore praesens est.

Est profecto deus, qui quae nos gerimus auditque et videt. Plaut. Capt. 2, 2, 63.

Deus omnibus negotiis horisque interest.

Plin. Nat. Hist. 28, 2, 5, 27.

Nihil deo clusum est: interest animis nostris et cogitationibus mediis intervenit. Sen. Epist. 83, 1.

Colite, homines, innocentiam et nullam spem impunitatis ex secreto scelerum conceperitis; licet nulli hominum conspexerint oculi, licet nulla cuiusquam mortalium conscientia intervenerit, sub caelo tamen fecistis —: erat illic potentior testis. Quintil. Decl. 314.

4. Deus iustissimus est.

Aspiciunt oculis superi mortalia iustis. Ovid. Met. 13,70.

[Deus] merenti bene profuerit, male merenti par erit. Plaut. Capt. 2, 2, 65.

5. Deus omnibus pariter beneficia tribuit.

Deus quaedam munera universo humano generi dedit, a quibus excluditur nemo. Sen. de ben. 4, 28, 2.

Non solum universo generi hominum, sed etiam singulis a dis inmortalibus consuli et provideri solet. Cic. de nat. deor. 2, 65, 164.

More optimorum parentum, qui maledictis infantium suorum adridٍent, non cessant di beneficia congerere de beneficiorum auctore dubitantibus, sed aequali tenore bona sua per gentes populosque distribuunt unam potentiam sortiti prodesse. Spargunt opportunis imbribus terras, maria flatu movent, siderum cursu notant tempora, hiemes aestatesque interventu lenioris spiritus molliunt. Sen. de ben. 7, 31, 4.

6. Deus in homines indulgentissimus.

Errorem labentium animorum placidi ac propitii [di] ferunt. Sen. de ben. 7, 31, 4.

III.

DE DEI CULTU.

1. Deus hominum cultum non desiderat.

Divina nec iuvari desiderant nec laedi possunt. Sen. de const. 8, 2.

2. Quomodo deus ab hominibus colendus sit.

Primus est deorum cultus deos credere. Sen. Ep. 95,50.

Deum colit qui novit. *Id.* ib. 95, 47.

Deo sat est, quod colitur et amatur: non potest amor cum timore misceri. Sen. Epist. 47, 18.

Satis deos coluit quisquis imitatus est. *Id.* Ep. 95, 50.

Cultus deorum est optimus idemque castissimus atque sanctissimus plenissimusque pietatis, ut eos semper pura, integra, incorrupta et mente et voce veneremur. Cic. de nat. deor. 2, 28, 71.

3. Omnium rerum initia a deo capienda.

A dis inmortalibus sunt nobis agendi capienda primordia. Cic. de legg. 2, 3, 7.

Nihil rite nihilque providenter homines sine dei inmortalis ope consilioque auspicantur. Plin. Paneg. 1.

4. Deo confidendum.

Placeat homini quicquid deo placuit. Sen. Ep. 74, 20.

Te totum caelestium arbitrio permitte.

Valer. Maxim. 7, 2. ext. 1.

Hic est magnus animus, qui se deo tradidit; at contra ille pusillus ac degener, qui obluctatur et de ordine mundi male existimat et emendare mavult deos quam se. Sen. Epist. 107, 12.

5. Aperte agendum cum deo.

Sic vive cum hominibus, tamquam deus videat; sic loquere cum deo, tamquam homines audiant.

Sen. Epist. 10. extr.

Sic loquendum est cum hominibus, tamquam di audiant, sic loquendum cum dis, tamquam homines audiant. MACROB. Sat. 1, 7, 6.

6. Precationes ad deum faciendae, sed quales?

Dominum mundi flectere vota solent.

MART. Epigr. 8, 32, 6.

Flectitur iratus voce rogante deus. OVID. A. A. 1, 442.

Tunc scito esse te omnibus cupiditatibus solutum, cum eo perveneris, ut nihil deum roges, nisi quod rogare possis palam. SEN. Epist. 10, 5.

Graviorum turba malorum
Texitur, ignavis trahimus dum tempora votis.

CLAUD. in Eutr. 2, 394.

Non votis neque suppliciis muliebribus auxilia deorum parantur: vigilando, agundo, bene consulendo prospere omnia cedunt; ubi socordiae te atque ignaviae tradideris, nequiquam deos implores.

CATO apud SALL. Cat. 52, 29.

7. Dei cultum feliciores neglegunt. In rebus adversis homines sunt religiosi.

Magis deos miseri quam beati colunt.

SEN. Excerpt. Contr. p. 464 ed. Bip.

Cum res trepidae, reverentia divum
Nascitur, at rarae fumant felicibus arae.

SIL. ITAL. 7, 88.

Multoque in rebus acerbis
Acrius advertunt animos ad relligionem.

. . . . . .

Nam verae voces tum demum pectore ab imo
Eiciuntur. Lucr. de rer. nat. 3, 53.

8. De superstitione.

Ad religiones maxime etiamnunc caligat humanum genus. Plin. Nat. Hist. 30, 1. init.

Superstitione tollenda religio non tollitur.
Cic. de div. 2, 72, 148.

Nulla res multitudinem efficacius regit quam superstitio: alioquin impotens, saeva, mutabilis, ubi vana religione capta est, melius vatibus quam ducibus suis paret. Curt. 4. 10.

Hoc condicio humana vel pessimum habet, quod fortuna quos miseros facit et superstitiosos facit.
Sen. Excerpt. Contr. p. 465 ed. Bip.

9. Omnia a rerum primordiis constituta et fixa.

Equidem aeterna constitutione crediderim nexuque causarum latentium et multo ante destinatarum suum quemque ordinem inmutabili lege percurrere. Curt. 5, 11.

10. De dei ministris.

Non quaerit ministros deus, ipse humano generi ministrat: ubique et omnibus praesto est. Sen. Ep. 95, 47.

Coram sacerdote obscenis homines abstinent.
Sen. Excerpt. Contr. p. 84 ed Bip.

B. DE MUNDO ET DE RERUM NATURA.

I.

DE UNIVERSO MUNDO.

1. Mundus a deo factus sapientissimo consilio.

Quis hunc hominem dixerit, qui, cum certos caeli motus, tam ratos astrorum ordines tamque inter se omnia conexa et apta viderit, neget in his ullam inesse rationem eaque casu fieri dicat, quae quanto consilio gerantur nullo consilio adsequi possumus?

Cic. de nat. deor. 2, 38, 97.

2. Mundus a deo administratur et regitur.

Quid potest esse tam apertum tamque perspicuum, cum caelum suspeximus caelestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen praestantissimae mentis, quo haec regantur? Cic. de nat. deor. 2, 2, 4.

Dico providentia deorum mundum et omnes mundi partes et initio constitutas esse et omni tempore administrari. Cic. de nat. deor. 2, 30, 1.

3. Mundus est dei templum.

Mundus est ingens deorum omnium templum,

Sen. Epist. 90, 28.

Bene universus mundus dei templum vocatur. . . . . Sciat quisquis in usum huius templi inducitur ritu sibi vivendum esse sacerdotis. Macr. S. Scip. 1, 14.

4. Mundus est aeternus, sed singulae eius partes non eaedem manent.

Mundus, aeterna res et invicta, mutatur nec idem manet. Sen. Epist. 58, 24.

Quid cuiquam satis tutum videri potest, si mundus ipse concutitur et partes eius solidissimae labant?

Sen. Nat. Quaest. 6, 1, 3.

II.

DE CAELO.

Cum terram nox opacavit, tum caelum totum cernimus astris distinctum et ornatum lunaeque luminum varietatem tum crescentis tum senescentis siderumque omnium ortus et occasus atque in omni aeternitate ratos inmutabilesque cursus.

Aristotel. apud Cic. de nat. deor. 2, 37, 95.

Quo gaudio adfici necesse est sapientis animum, cum totius mundi motus conversionesque perspexerit sideraque viderit innumerabilia caelo inhaerentia cum eius ipsius motu congruere? Cic. Tusc. 5, 24, 69.

III.

DE SIDERIBUS.

1. De sideribus.

Cogitatio nostra caeli munimenta perrumpit nec contenta est id quod ostenditur scire.

Sen. de otio 5, 6.

2. De stellis fixis.

Stellae omnes et sidera, quae infixa caelo videntur,

quorum proprium motum numquam visus humanus sentire vel deprehendere potest, moventur tamen: . . . . . tam sero promoventur, ut nullius hominum vita tam longa sit, quae observatione continua factam de loco permutationem, in quo eas primum viderat, deprehendat.

MACR. Somn. Scip. 2, 11.

3. De planetis.

Sunt plures planetae quam cernimus.

[Phavorinus] mirabatur id cuiquam pro percepto liquere, stellas istas, quas erraticas vocant, non esse plures, quam vulgo dicerentur: posse enim fieri existimabat, ut et alii quidam planetae pari potestate essent . . . . neque eos tamen homines cernere possent propter exsuperantiam . . . altitudinis. GELL. N. A. 14, 1, 11.

[Artemidorus contendit] non has tantum stellas discurrere, sed has solas observatas esse; ceterum innumerabiles ferri per occultum . . propter obscuritatem luminis nobis ignotas. SEN. Nat. Qu. 7, 13, 1.

Non est quod existimes septem sola discurrere, cetera haerere; paucorum motus comprehendimus, innumerabiles vero longiusque a conspectu [nostro] seducti di eunt redeuntque. SEN. de ben. 4, 23, 4.

4. De cometis.

Cometae sunt sidera.

Cometes non est species falsa, sed proprium sidus sicut solis et lunae. SEN. Nat. Quaest. 7, 17.

Apollonius Myndius ait multos cometas erraticos esse.

SEN. Nat. Quaest. 7, 17, 1.

Nihil prohibet cometas aeternos esse et sortis eiusdem, cuius cetera [sidera], etiam si faciem illis non habent similem. *Id.* ib. 7, 27, 2.

Sunt qui et haec sidera perpetua esse credant suoque ambitu ire, sed non nisi relicta a sole cerni.

Plin. Nat. Hist. 2, 25, 23, 94.

IV.

DE SOLE.

Hic [sol] lucem rebus ministrat aufertque tenebras, hic reliqua sidera occultat, inlustrat, hic vices temporum annumque semper renascentem ex usu naturae temperat. Plin. Nat. Hist. 2, 6, 4, 13.

Solis candor inlustrior est quam ullius ignis, quippe qui in tam inmenso mundo tam longe lateque conluceat, et is eius tactus est, non ut tepefaciat solum, sed etiam saepe comburat. Cic. de nat. deor. 2, 15, 40.

[Solis] ignis vitalis et salutaris omnia conservat, alit, auget, sustinet sensuque adficit.

Cleanthes apud Cic. de nat. deor. 2, 15, 41.

V.

DE LUNA.

Luna eam lucem, quam a sole accepit, mittit in terras et varias ipsa mutationes lucis habet.

Cic. de nat. deor. 2, 40, 103.

Habitari ait Xenophanes in luna eamque esse terram multarum urbium et montium.

Id. Acad. Quaest. 2, 39, 123.

Lunam aetheream terram physici vocaverunt et habitatores eius lunares populos nuncupaverunt . . . . . nec dubium est, quin ipsa sit mortalium corporum et auctor et conditrix. Macrob. Somn. Scip. 1, 11, 7.

VI.

DE TERRA.

1. Terra pilae formam habet et est minima pars mundi.

[In terra] in tantum nihil attollitur, ut in conlatione totius ulla sit vel maximis portio; quod nisi esset, non diceremus totum orbem terrarum pilam esse. Pilae proprietas est cum aequalitate quadam rotunditas; aequalitatem autem accipe hanc, quam vides in lusoria pila: non multum illi commissurae et rimae earum nocent, quo minus par sibi ab omni parte dicatur. Quomodo in hac pila nihil illa intervalla officiunt ad speciem rotundi, sic ne in universo quidem orbe terrarum editi montes, quorum altitudo totius mundi conlatione consumitur. Sen. Nat. Quaest. 4, 11, 2.

Terram hanc cum urbibus populisque et fluminibus et ambitu maris puncti loco ponimus ad universa referentes. Sen. ad Marc. de consol. 21, 2.

Fuerunt qui dicerent nos esse quos rerum natura nescientes ferat, nec caeli motu fieri ortus et occasus, sed ipsos oriri et occidere. Sen. Nat. Quaest. 7, 2, 3.

2. Homines sunt cultores terrae constituti.

Communis terra mater est omnium mortalium.

Liv. 1, 56, extr.

Homines quasi cultores terrae constituti non patiuntur eam nec inmanitate beluarum ecferari nec stirpium asperitate vastari, eorumque operibus agri, insulae litoraque conlucent distincta tectis et urbibus.

Cic. de nat. deor. 2, 39, 99.

3. Terra nos alit.

Terra nos nascentes excipit, natos alit semelque editos sustinet semper, novissime complexa gremio.

Plin. N. H. 2, 63, 63, 154.

Terra benigna, mitis, indulgens ususque mortalium semper ancilla, quae coacta generat, quae sponte fundit, quos odores saporesque, quos sucos, quos tactus, quos colores! quam bona fide creditum fenus reddit! quae nostra causa alit! Plin. Nat. Hist. 2, 63, 63, 155.

4. De patria terra.

Nescit qua natale solum dulcedine captos
Ducit et inmemores non sinit esse sui.

Ovid. Epist. ex Pont. 1, 3, 34.

Nemo patriam quia magna est amat, sed quia sua.

Sen. Epist. 66, 26.

Nos et eam patriam ducimus, ubi nati, et illam, in quam recepti sumus. Cic. de legg. 2, 2, 5.

Omne solum forti patria est, ut piscibus aequor,
Ut volucri vacuo quicquid in orbe patet.

Ovid. Fast. 1, 493.

Patria est ubicumque vir fortis sedem sibi elegit.

Curt. 6, 4.

5. Quaevis terra ingeniosos homines alit, quaevis terra malum aliquod emittit.

Nulla provincia est, quae non peritos et ingeniosos homines habeat. Plin. Epist. 10, 34, 3.

Quid attinet mores natione pendi?

Val. Max. 1, 1. extern. 2.

Nulla terra tam longe remota est, quae non emittere aliquod suum malum possit. Sen. Nat. Quaest. 5, 18, 12.

6. Locorum situs quam vim adferat ad hominum ingenia et vitam.

Ingenia hominum locorum situs format. Curt. 8, 9.

Plaga caeli ad robur non tantum corporum, sed etiam animorum plurimum valet. Veget. de re mil. 1, 2.

Locorum asperitas hominum ingenia durat. Curt. 7, 3.

Severior loci disciplina firmat ingenium aptumque magnis conatibus reddit. Sen. Epist. 51, 11.

Licet videre acutiora ingenia et ad intellegendum aptiora eorum, qui terras incolunt eas, in quibus aer sit purus ac tenuis, quam illorum, qui utantur crasso caelo atque concreto. Cic. de nat. deor. 2, 16, 42.

Effeminat animos amoenitas nimia, nec dubie aliquid ad corrumpendum vigorem potest regio. Sen. Ep. 51, 10.

Imperia fere penes eos fuere homines, qui mitiore caelo utuntur. Sen. de ira 2, 15, 5.

Est maritimis urbibus quaedam corruptela ac demutatio morum: admiscentur enim novis sermonibus ac disciplinis, et importantur non merces solum adventi-

ciae, sed etiam mores, ut nihil possit in patriis institutis manere integrum. Cic. de rep. 2, 4, 7.

7. Locorum quorundam cultus et admiratio.

Movemur nescio quo pacto locis ipsis, in quibus eorum quos diligimus aut admiramur adsunt vestigia. Cic. de legg. 2, 2, 4.

8. Homines proxima neglegunt, sectantur longinqua.

Ita natura comparatum, ut proximorum incuriosi longinqua sectemur, seu quod omnium rerum cupido languescit, cum facilis occasio est, seu quod differimus, tamquam saepe visuri, quod datur videre, quoties velis cernere. Plin. Epist. 8, 20, 1.

9. De peregrinationibus.

Cum hac persuasione vivendum est: non sum uni angulo natus, patria mea totus hic mundus est. Senec. Epist. 28, 4.

Hominum natura . . . peregrinationis avida est. Plin. Nat. Hist. 17, 10, 12, 66.

Esset imperitum animal et sine magna experientia rerum homo, si circumscriberetur natalis soli fine. Sen. Nat. Quaest. 5, 18, 14.

Linque tuas sedes alienaque litora quaere,
O iuvenis! maior rerum tibi nascitur ordo.
Petron. fragm. 27.

Habet multum iucunditatis soli caelique mutatio. Plin. Epist. 3, 19, 4.

Caelum, non animum mutant qui trans mare currunt.
HORAT. Epist. 1, 11, 27.

Quid per se peregrinatio prodesse cuiquam potuit? Non voluptates illa temperavit, non cupiditates refrenavit, non iras repressit, non indomitos amoris impetus fregit, nulla denique animo mala eduxit: non iudicium dedit, non discussit errorem, sed ut puerum ignota mirantem ad breve tempus rerum aliqua novitate detinuit. . . . . Peregrinatio notitiam dabit gentium, novas tibi montium formas ostendet, invisitata spatia camporum et inriguas perennibus aquis valles, alicuius fluminis sub observatione naturam; — ceterum neque meliorem faciet neque saniorem. SEN. Epist. 104, 13 sq.

Socratem querenti cuidam, quod nihil sibi peregrinationes profuissent, respondisse ferunt: Non inmerito hoc tibi evenit: tecum enim peregrinabaris. *Id.* ib. 7.

Medicina aegro, non regio, quaerenda est. *Id.* ib. 17.

Peregrinatio non facit medicum, non oratorem: nulla ars loco discitur. *Id.* ib. 19.

Qui quo destinavit pervenire vult, unam sequatur viam, non per multas vagetur: non ire istuc, sed errare est. SEN. Epist. 45, 1.

Qui tardius exierunt, velocitate pensant moram.
Id. Nat. Quaest. 3. praef. 4.

C. DE NATURA EIUSQUE COGNITIONE.

1. Nihil temere et sine causâ genuit natura.

Nihil parens illa rerum omnium sine ingentibus causis genuit. PLIN. Nat. Hist. 29, 4, 18, 65.

2. Nihil per se magnum. Insolita raro gignuntur, Nulla sunt portenta. Singula curiose investiganda.

Quicquid inter vicina eminet, magnum est illic, ubi eminet: nam magnitudo habet modum incertum, comparatio illam aut tollit aut deprimit. SEN. Epist. 43, 2.

Magna et excedentia solitum ac vulgarem modum non crebro gignuntur. SEN. de const. 7, 1.

Quicquid oritur, qualecumque est, causam habeat a natura necesse est, ut, etiam si praeter consuetudinem extiterit, praeter naturam tamen non possit existere. Causam igitur investigato in re nova atque admirabili, si poteris. Si nullam reperies, illud tamen exploratum habeto, nihil fieri potuisse sine causa. CIC. de div. 2, 28, 60

Nihil fit ob unam causam, sed id pro causa apprehenditur, quod contulisse plurimum videtur.

CELS. de medic. praefat. I. p. 9 ed. Bip.

Nihil fieri sine causa potest, nec quicquam fit quod fieri non potest. Nec si id factum est, quod fieri potuit, portentum debet videri. Nulla igitur portenta sunt.

CIC. de divin. 2, 28, 61.

Si causae non reperiuntur rerum, res tamen ipsae observari animadvertique possunt. Cic. de divin. 2, 21, 47.

Curiosus spectator excutit singula et quaerit.
Sen. Nat. Quaest. praef. 11.

3. Artis opera cum natura non comparanda.

Meliora sunt ea, quae natura, quam illa, quae arte perfecta sunt. Cic. de nat. deor. 2, 34, 87.

Quod in operibus nostrarum artium manus efficit, id multo artificiosius natura efficit. Cic. de n. deor. 2, 22. 57.

4. Naturae maxima varietas.

Non ad unam natura formam opus suum praestat, sed ipsa varietate se iactat. Sen. Nat. Qu. 7, 27, 5.

Ignorat naturae potentiam qui illi non putat aliquando licere nisi quod saepius fecit. Sen. Nat. Qu. *ibid.*

Nihil in rebus humanis voluit esse rerum natura tam simile, quod non aliqua proprietate secerneret.
Quint. Decl. 8, 12.

5. Naturae benignitas.

Bene aestimata naturae indulgentia confitearis necesse est in deliciis te illi fuisse. Sen. de ben. 2, 29, 5.

6. Natura non se accommodat ad hominem.

Sui iuris rerum natura est nec ad leges humanas componitur: modo properat, modo vota praecurrit.
Sen. Contr. p. 177 ed. Bip.

7. Natura optima magistra.

A rerum natura non deerrare et ad illius legem exemplumque formari sapientia est. Sen. de vit. beat. 3, 3.

8. Naturam nosse operae pretium est.

Operae pretium est nosse naturam. Neque enim quicquam habet in se huius materiae tractatio pulchrius, cum multa habeat futura usui, quam quod hominem magnificentia sui detinet nec mercede, sed miraculo colitur. Sen. Nat. Quaest. 6, 4, 2.

Inest in explicatione naturae insatiabilis quaedam e cognoscendis rebus voluptas, in qua una confectis rebus necessariis vacui negotio honeste ac liberaliter possimus vivere. Cic. de fin. 4, 5, 12.

Cum imus per occulta naturae, cum divina tractamus, vindicandus est a malis suis animus ac subinde firmandus . quod etiam eruditis et hoc unum agentibus necessarium est, non ut effugiamus ictus rerum, sed ut fortiter et constanter patiamur. Sen. Nat. Qu. 2, 59, 2.

Omnium rerum natura cognita levamur superstitione, liberamur mortis metu, non conturbamur ignoratione rerum, e qua ipsa horribiles existunt saepe formidines. Cic. de fin. 1, 19, 63.

Eum terrorem, quem tibi rei novitas attulerit, naturae ratione depellito. Cic. de divin. 2, 28, 60.

Rerum naturam peragranti numquam in fastidium veritas veniet, falsa satiabunt. Sen. Epist. 78, 26.

9. Non tam facile nec brevi tempore haec cognitio paratur.

Omnium rerum sunt quaedam in alto secreta. Plin. Nat. Hist. 17, 3, 3, 29.

Multa sunt, quae esse concedimus, qualia sunt ignoramus. Sen. Nat. Quaest. 7, 25, 1.

Magni fuit animi rerum naturae latebras dimovere neque contentum exteriori eius aspectu introspicere et in deorum secreta descendere. Sen. Nat. Quaest. 6, 5, 2.

Facilius natura intellegitur quam enarratur.

Id. Epist. 121, 11.

Rerum natura sacra sua non semel tradit . . : initiatos nos credimus, in vestibulo eius haeremus.

Sen. Nat. Qu. 7, 30, 6.

Non unius terrae, sed totius naturae interpretes sumus. Plin. Nat. Hist. 18, 25, 57, 214.

Naturae rerum vis atque maiestas in omnibus momentis fide caret, si quis modo partes eius ac non totam complectatur animo. Plin. Nat. Hist. 7, 1, 7.

Arduum est de his, quae coniectura sequenda sunt, aliquid certi promittere. Sen. Nat. Quaest. 6, 20, 5.

Quam multa animalia hoc primum cognovimus saeculo! Multa venientis aevi populus ignota nobis sciet, multa saeculis tunc futuris, cum memoria nostri exoleverit, reservantur. *Id.* Nat. Quaest. 7, 30, 5.

D. DE HUMANO GENERE. DE HOMINUM REBUS ET INSTITUTIS.

AA. DE HOMINIS NATURA ATQUE INDOLE. DE HUMANARUM RERUM CONDICIONE.

I.

DE HUMANO GENERE.

1. Homo animal praeclara ratione generatum. Est dei imago.

Animal plenum rationis et consilii, quem vocamus hominem, praeclara quadam ratione generatum est a supremo deo. CIC. de legg. 1, 7, 22.

Exemplum . . . dei quisque est in imagine parva. MANIL. Astron. 4, 884.

2. Omnes homines unum corpus efficiunt.

Membra sumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, cum ex isdem et in eadem gigneret. SEN. Epist. 95, 52.

3. Homines pereunt, humanum genus non perit.

Homines quidem pereunt, ipsa autem humanitas, ad quam homo effingitur, permanet et hominibus laborantibus, intereuntibus illa nihil patitur. SEN. Epist. 65, 7.

II.

DE NASCENDI CONDICIONE.

[Natura] hominem nudum et in nuda humo natali die abicit ad vagitus statim et ploratum, nullumque

tot animalium aliud ad lacrimas et has protinus vitae principio. . . . Ab hoc lucis rudimento . . . . vincula excipiunt et omnium membrorum nexus, itaque feliciter natus iacet manibus pedibusque devinctis, fiens animal ceteris imperaturum. . . . . Prima roboris spes primumque temporis munus quadrupedi similem facit. Quando homini incessus! quando vox! quando firmum cibis os! quam diu palpitans vertex, summae inter cuncta animalia inbecillitatis indicium! . . . . Cetera sentire naturam suam: alia pernicitatem usurpare, alia praepetes volatus, alia nare; hominem scire nihil sine doctrina, non fari, non ingredi, non vesci, breviterque non aliud naturae sponte quam flere. Plin. Nat. Hist. 7. prooem.

[Homines] parvi primo ortu sic iacent, tamquam omnino sine animo sint; cum autem paullum firmitatis accessit, et animo utuntur et sensibus, conituntur que sese ut erigant, et manibus utuntur et eos adgnoscunt, a quibus educantur; deinde aequalibus delectantur libenterque se cum his congregant. Cic. de fin. 5, 15, 42.

Quid est homo? quodlibet quassum vas et quolibet fragile iactatu. Sen. de consol. ad Marc. 11, 3.

III.

DE ORIGINE. DE GENERE.

1. De natali die.

Dicamus bona verba, venit natalis ad aras.

Tibull. Eleg. 2, 2, 1.

Quidni ego magnorum virorum natales celebrem?

Sen. Epist. 64, 9.

2. De genere.

Omnes, si ad originem primam revocantur, a dis sunt. SENEC. Epist. 44, 1.

Quemcunque volueris revolve nobilem, ad humilitatem pervenies. SEN. Contr. 6. p. 110 ed. Bip.

Quidam ignobiles nati fecerunt posteris genus. SEN. Contr. p. 110 ed. Bip.

Plato ait neminem regem non ex servis esse oriundum, neminem non servum ex regibus. SEN. Ep. 44, 4.

Maiorum gloria posteris quasi lumen est. SALL. Iug. 85, 23.

Ut loca sordida repercussu solis inlustrantur, ita inertes maiorum suorum luce resplendent. SEN. de ben. 4, 30, 4.

Quis est generosus? ad virtutem bene a natura compositus. SEN. Epist. 44, 5.

Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus. Nemo in nostram gloriam vixit, nec quod ante nos fuit nostrum est. Animus facit nobilem, cui ex quacumque condicione supra fortunam licet surgere. *Id.* ib.

Virtute decet, non sanguine niti. CLAUD. de IV cons. Honor. 220.

Tota licet veteres exornent undique cerae
Atria, nobilitas sola est atque unica virtus. IUVEN. Sat. 8, 19.

Potest ex casa magnus vir exire. SEN. Epist. 66, 3.

Maiorum meritis gloria non datur,
Turpis saepe datur fama minoribus. CLEOB. apud Auson. p. 148 ed. Bip.

Pulcrius multo parari quam creari nobilem.
Solo apud Auson. p. 149 ed. Bip.

IV.

DE VITAE AETATIBUS.

1. De pueritia.

Pueri, cum artes difficiles discunt, celeriter res innumerabiles arripiunt. Cic. de sen. 21, 78.

In teneris consuescere multum est. Verg. Georg. 2, 272.

Altius praecepta descendunt, quae teneris imprimuntur aetatibus. Sen. de cons. ad Helv. 18, 8.

2. De iuventute.

Ut sementem feceris, ita metes.
Servil. apud Cic. de or. 2, 65, 261.

Libidinosa et intemperans adulescentia effetum corpus tradit senectuti. Cic. Cat. mai. 9, 29.

Adulescens cum sis, tum cum est sanguis integer,
Rei tuae quaerendae convenit operam dare.
Plaut. Merc. 3. 2, 7.

Multi summi homines fuerunt, quorum, cum adulescentiae cupiditates deferbuissent, eximiae virtutes firmata iam aetate extiterunt. Cic. pro Cael. 18, 43.

Studia in adulescentia tamquam in herbis significant quae virtutis maturitas et quantae fruges industriae sint futurae. Cic. pro Cael. 31, 76.

Decet verecundum esse adulescentem. Plaut. As. 5, 1, 6.

Est adulescentis maiores natu vereri ex hisque deligere optimos atque probatissimos, quorum consilio at-

que auctoritate nitatur. Ineuntis enim aetatis inscitia senum constituenda et regenda prudentia est.

Cic. de offic. 1, 34, 122.

Semper magno ingenio adulescentes refrenandi a gloria quam potius incitandi fuerunt. Cic. pro Cael. 31, 76.

Quotusquisque adulescentium nostrorum vel aetati alterius vel auctoritati ut minor cedit? Statim sapiunt, statim sciunt omnia, neminem verentur, imitantur neminem atque ipsi sibi exempla sunt. Plin. Ep. 8, 23, 3.

3. De constanti aetate.

Vis invicta viri. Stat. Theb. 3, 62.

Non sentire mala sua non est hominis, et non ferre non est viri. Sen. Consol. ad Polyb. 36, 2.

Non est ornamentum virile concinnitas. *Id.* Ep. 115, 2.

4. De senectute.

Hoc, quod senectus vocatur, paucissimorum circuitus annorum. Sen. de cons. ad Marc. 11, 5.

Senectus crepusculum est, quod longum esse non potest. Fronto p. 225 ed. Nieb.

Nemo nostrum idem est in senectute, qui fuit iuvenis. Sen. Epist. 58, 22.

Senectus, si nil quicquam aliud viti
Adportes tecum, cum advenis, unum id sat est,
Quod diu vivendo multa, quae non volt, videt.

Caecil. apud Cic. de sen. 8, 25.

Senectus ipsa est morbus. Ter. Phorm. 4, 1, 9.

Senectus insanabilis morbus est. Sen. Epist. 108, 28.

Credebant hoc grande nefas et morte piandum,
Si iuvenis vetulo non adsurrexerat, et si
Barbato cuicumque puer. Iuven. Sat. 13, 54.
Magna fuit quondam capitis reverentia cani,
Inque suo pretio ruga senilis erat. Ovid. Fast. 5,57.
Temeritas est florentis aetatis, prudentia senescentis.
Cic. de sen. 6, 20.
Seris venit usus ab annis. Ovid. Met. 6, 28.

V.

DE VITAE BREVITATE. DE TEMPORIS PARSIMONIA.

1. De temporis velocitate.

Labitur occulte fallitque volatilis aetas,
Et nihil est annis velocius. Ovid. Met. 10, 519.
Labitur occulte fallitque volubilis aetas,
Ut celer admissis labitur amnis aquis.
Ovid. Amor. 1, 8, 49.
Tempora labuntur tacitisque senescimus annis,
Et fugiunt freno non remorante dies.
Ovid. Fast. 6, 771.
Ut ad damna, ita ad incrementa rapidum veloxque tempus est. Sen. de cons. ad Marc.. 16, 7.

2. Tempus praeteritum numquam revertitur.

Horae . . cedunt et dies et menses et anni, nec praeteritum tempus umquam revertitur, nec quid sequatur sciri potest. Cic. Cat. mai. 19, 69.
Nemo se iudicat quicquam debere, qui tempus ac-

cepit, cum interim hoc unum est, quod ne gratus quidem potest reddere. Sen. Epist. 1, 3.

3. Tempore utendum.

Non tam benignum ac liberale tempus natura nobis dedit, ut aliquid ex illo vacet perdere. Sen. Ep. 117, 32.

Temporis unius honesta avaritia est.
Sen. de brev. v. 3, 1.

Cum celeritate temporis utendi velocitate nobis certandum est et velut ex torrenti rapido nec semper ituro hauriendum. Sen. de brev. vit. 9, 2.

Utendum est aetate: cito pede labitur aetas,
Nec bona tam sequitur, quam bona prima fuit.
Ovid. A. A. 3, 65.

Tempus cum perit, magna in magnis rebus iactura est. Sen. de ira 3, 21, 4.

Quaedam tempora eripiuntur nobis, quaedam subducuntur, quaedam effluunt. Turpissima tamen est iactura, quae per neglegentiam fit. Sen. Epist. 1, 1.

Breve nobis tempus nos facimus. . . . . Alias horas vanus salutandi labor, alias datum fabulis otium, alias spectacula, alias convivia trahunt.
Quintil. Inst. Orat. 12, 11, 18.

Repeto me correptum ab eo [ab avunculo, Plinio maiore] cum ambularem: Poteras, inquit, has horas non perdere. Nam perire omne tempus arbitrabatur, quod studiis non impertiretur. Plin. Epist. 3, 5.

At tu, dum primi floret tibi temporis aetas,
Utere: non tardo labitur illa pede. Tib. Eleg. 1, 8, 47.

Venturae memores iam nunc estote senectae;
Sic nullum vobis tempus abibit iners.
Ovid. A. A. 3, 59.

Vidi iam iuvenem, premeret cum serior aetas,
Maerentem stultos praeteriisse dies.
Tibull. Eleg. 1, 4, 33.

Dum vires annique sinunt, tolerate labores:
Iam veniet tacito curva senecta pede.
Ovid. A. A. 2, 669.

Matutini temporis usus.

Mane quod tu occeperis negotium agere, id totum procedit diem. Plaut. Pers. I, 3, 33.

De vigiliis.

Vigilare decet hominem, qui volt suo tempore conficere negotia. Plaut. Rud. 4, 2, 16.

Somni et vini sis abstinentissimus, quae utraque sunt inimica diligentiae. Colum. de re rust. 11, 1.

4. Vita brevis est et incerta.

Tota vita hominis unus est dies. Quint. declam. 4, 9.

Incertum est quam longa nostrum cuique vita futura sit. Cic. in Verr. 1, 58, 153.

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.
Horat. Epist. 1, 4, 13.

Grata superveniet quae non sperabitur hora.
Hor. Epist. 1, 4, 14.

Certam praesens vix habet hora fidem.
Ovid. ex Ponto 4, 3, 50.

An id exploratum cuiquam potest esse, quomodo sese

habiturum sit corpus non dico ad annum, sed ad vesperum? Cic. de fin. 2, 28, 92.

Nescis quid vesper serus vehat.

Inscript. Sat. Men. Varron. apud Macr. Sat. 1, 7.

Non est crede mihi sapientis dicere: Vivam;
Sera nimis vita est crastina, vive hodie. Mart. 1, 16.

Quam stultum est aetatem disponere! ne crastino quidem dominamur. Sen. Epist. 101, 4.

Propera vivere et singulos dies singulas vitas puta. Sen. Epist. 101, 10.

Dum differtur vita, transcurrit. Sen. Epist. 1, 3.

Certa amittimus, dum incerta petimus, atque hoc evenit
In labore atque in dolore, ut mors obrepat interim.
Plaut. Pseud. 2, 3, 19.

Multi transeunt vitam, dum vitae instrumenta conquirunt. Sen. Epist. 45, 12.

Exceptis admodum paucis ceteros in ipso vitae adparatu vita destituit. Sen. de brev. vit. 1, 1.

Nihil aeque tibi profuerit ad temperantiam omnium rerum, quam frequens cogitatio brevis aevi et huius incerti. Sen. Epist. 114, 27.

Omnis dies, omnis hora quam nihil simus ostendit et aliquo argumento recenti admonet fragilitatis oblitos: tum aeterna meditatos respicere cogit ad mortem. Sen. Epist. 101, 1.

Ex vita ita discedo, tamquam ex hospitio, non tamquam ex domo. Commorandi enim natura deversorium nobis, non habitandi dedit. Cic. Cat. mai. 23, 84.

Non domus hoc corpus, sed hospitium et quidem breve. Sen. Epist. 120, 14.

5. De recto vitae usu.

Curam nobis nostri natura mandavit, sed huic ubi nimium indulseris, vitium est. Sen. Epist. 116, 3.

Secundum Aristotelem eius vita est beatissima, cuius et fortunae sapientia et sapientiae fortuna suppeditat. Rutil. Lup. de fig. p. 24 ed. Ruhnk.

Non vivere bonum est, sed bene vivere. Sen. Ep. 70, 3.

Quam bene vivas refert, non quam diu. Sen. Ep. 101, 15.

Satis longa vita et in maximarum rerum consummationem large data est, si tota bene conlocaretur. Sen. de brev. vit. 1, 3.

Quomodo fabula, sic vita: non quam diu, sed quam bene acta sit refert. Sen. Epist. 77, 20.

Brevis a natura nobis vita data est, at memoria bene redditae vitae sempiterna. Cic. Philipp. 14, 12, 32.

Stat sua cuique dies, breve et inreparabile tempus
Omnibus est vitae; sed famam extendere factis,
Hoc virtutis opus. Verg. Aen. 10, 467.

Si volueris adtendere, maxima pars vitae elabitur male agentibus, magna nihil agentibus, tota vita aliud agentibus. Sen. Epist. 1, 1.

Non potest quisquam beate degere, qui se tantum intuetur, qui omnia ad utilitates suas convertit; alteri vivas oportet, si vis tibi vivere. Sen. Epist. 48, 2.

Non nobis solum nati sumus, ortusque nostri

partem patria sibi vindicat, partem parentes, partem amici. Cic. de off. 1, 7, 22.

Et prima vitae tempora et media patriae, extrema nobis impertire debemus, ut ipsae leges monent, quae maiorem annis sexaginta otio reddunt. Plin. Ep. 4, 23, 3.

Maior pars aetatis, certe melior reipublicae data sit; aliquid temporis tui sume etiam tibi. Sen. de br. vit. 18, 1.

VI.

DE UNIVERSA VITA. DE HUMANARUM RERUM CONDICIONE. DE FORTUNA ET FATO. DE REBUS SECUNDIS. DE REBUS ADVERSIS.

1. De universa vita.

Hominis tota vita nihil aliud quam ad mortem iter est. Sen. cons. ad Polyb. 11, 2.

Nihil est ab omni parte beatum. Hor. Od. 2, 16, 27.

Mortalis nemo est, quem non attingat dolor
Morbusque. Cic. Tusc. 3, 25, 61. ex Graeco Eurip.

Omnis vita servitium est. Sen. de tranq. an. 10, 3.

2. Omnia humana fragilia et caduca.

[Ita di fata ordinaverunt, ut interdum nos admonerent] fragilitatis humanae, cuius nimia in prosperis rebus oblivio est. Curt. 4, 14.

Omnia humana brevia et caduca sunt et infiniti temporis nullam partem occupantia.

Sen. de consol. ad Marc. 21, 1.

Nihil semper floret, aetas succedit aetati.

Cic. Phil. 11, 15, 39.

Omnia vetustate labuntur nec quicquam tutum a senectute est. Sen. Nat. Quaest. 6, 10, 1.

Gutta cavat lapidem, consumitur anulus usu,
Et teritur pressa vomer aduncus humo.
Ovid. ex Pont. 4, 10, 5.

Nihil est opere aut manu factum, quod aliquando non conficiat et consumat vetustas.
Cic. pro Marc. 4, 11.

3. De rerum vicissitudine et mutatione.

Rebus cunctis inest quidam velut orbis, ut quemadmodum temporum vices, ita morum vertantur.
Tacit. Ann. 3, 45.

Aliquis etiam magnitudini locus est.
Sen. Suasor. 1. p. 4 ed. Bip.

Difficilis in perfecto mora est, naturaliterque quod procedere non potest recedit. Vell. Paterc. 1, 17, 6.

Quicquid ad summum venit, incremento non reliquit locum. Sen. Suasor. 1. p. 4 ed. Bip.

Quicquid ad summum pervenit, ad exitum prope est; — ubi incremento locus non est, vicinus occasus est.
Sen. de cons. ad Marc. 23, 3.

Fati maligna perpetuaque in omnibus rebus lex est, ut ad summum perducta rursus ad infimum, velocius quidem quam ascenderant, relabantur.
Sen. Controv. p. 61 ed. Bip.

Quo quid altius surrexerit, opportunius est ad occasum. Sen. de brev. vit. 17, 4.

Numquam perniciosa servant modum. Sen. Ep. 85, 12.

Nulla tempestas magna perdurat: procellae quanto plus habent virium, tanto minus temporis. Sen. Nat. Qu. 7, 9, 3.

Modicis rebus
Longius aevum est. Sen. Agam. 99.

Miscentur tristia laetis. Ovid. Fast. 6, 463.

Non omni die bene esse potest.
Gell. Noct. Att. 17, 12 ex Graeco versu.

Venit post multos una serena dies. Tib. El. 3, 6, 32.

4. De fato.

Enumerare omnes fatorum vias longum est.
Sen. Epist. 91, 12.

Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.
Poeta apud Sen. Epist. 107, 11.

Circuit fatum et, si quid diu praeteriit, repetit. Quaedam rarius sollicitat, saepius quaedam, nihil inmune esse et innoxium sinit. Sen. Nat. Quaest. 6, 1, 13.

5. De necessitate.

Necessitas ultimum et maximum telum est. Liv. 4, 28, 5.

Necessitati parendum est. Cic. de offic. 2, 21, 74.

Tempori cedere, id est necessitati parere, semper sapientis est habitum. Cic. ad fam. 4, 9, 2.

Necessitas plus posse quam pietas solet. Sen. Tr. 3, 579.

6. De fortuna.

Fortuna quam vim habeat in rebus humanis.

Fortuna rerum humanarum domina. Cic. pro Marc. 2, 7.

Vitam regit fortuna, non sapientia.
Cic. Tusc. 5, 9, 25 ex Graeco.

Parvis momentis fortuna magnas rerum commutationes efficit. Caes. de bell. civ. 3, 68.

Fortuna rebus famam pretiumque constituit. Curt. 9, 42.

Fortuna in omni re dominatur: ea res cunctas ex lubidine magis quam ex vero celebrat obscuratque. Sallust. Cat. 8.

Exitus acta probat. — careat successibus opto,
Quisquis ab eventu facta notanda putat.
Ovid. Her. 2, 85.

Fortuna fortes iuvat.

Fortes fortuna adiuvat. Terent. Phorm. 1, 4, 26.

Fortes fortuna adiuvat, ut est in vetere proverbio. Cic. Tusc. 2, 4, 11.

Audentes fortuna iuvat. Vergil. Aen. 10, 284.

Audentes deus ipse iuvat. Ovid. Met. 10, 586.

Fortibus est fortuna viris data.
Enn. Annal. 262 p. 39 ed. Vahlen.

Fortuna meliores sequitur.
Sallust. Histor. fragm. 1, 51 p. 83 ed. Kritz.

Fortuna fortes metuit, ignavos premit. Sen. Med. 159.

Iniqua raro maximis virtutibus
Fortuna parcit. Sen. Herc. Fur. 325.

Suae quisque fortunae faber.

Bono loco res humanae sunt, quod nemo nisi vitio suo miser est. Sen. Epist. 70, 15.

Faber est quisque fortunae suae.
Appius Caec. apud Sall. de ordin. rep. 1.

Sui cuique mores fingunt fortunam.
Corn. Nep. Att. 11, 6.

Ut quisque fortuna utitur, ita praecellit.
Plaut. Pseud. 2, 3, 13.

Fortuna caeca est et occaecat homines.

Non solum ipsa fortuna caeca est, sed eos etiam plerumque efficit caecos, quos complexa est. Cic. Lael. 15, 54.

Quantum caliginis mentibus nostris obicit magna felicitas! Sen. de brev. vit. 13, 7.

Fortuna inmoderata est.

Fortuna inmoderata in bono aeque atque in malo.
Laber. 113 p. 252 ed. Ribbeck.

Fortuna levis est.

Levis est fortuna, cito reposcit quae dedit.
Publ. Syr. Sent. 253 p. 276 ed. Ribbeck.

Nempe dat id, quodcumque libet, Fortuna rapitque.
Ovid. Trist. 3, 7, 41.

Fortuna varia est et inconstans.

Fortuna amica varietati respuit constantiam.
Cic. de nat. deor. 2, 16, 43.

Varietas propria est fortunae. Cic. de divin. 2, 53, 109.

Nihil est tam contrarium rationi atque constantiae quam fortuna. Cic. de div. 2, 7, 18.

Fortunam nemo ab inconstantia et temeritate seiunget. Cic. de div. 2, 24, 61.

Breves et mutabiles vices rerum sunt et fortuna numquam simpliciter indulget. Curt. 4, 54.

Qui multa agit, saepe fortunae potestatem sui facit.
Sen. de tranq. an. 13, 2.

Nulli fortuna tam dedita est, ut multa temptanti ubique respondeat. Sen. de ira 3, 6, 5.

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
Et subito casu quae valuere ruunt.
Ovid. ex Pont. 4, 3, 35.

Ima permutat brevis hora summis. Sen. Thyest. 595.

Passibus ambiguis Fortuna volubilis errat
Et manet in nullo certa tenaxque loco;
Sed modo laeta manet, modo voltus sumit acerbos
Et tantum constans in levitate sua est.
Ovid. Trist. 5, 8, 15.

Ludit in humanis divina potentia rebus,
Et certam praesens vix habet hora fidem.
Tu quoque fac timeas et quae tibi laeta videntur,
Dum loqueris, fieri tristia posse puta.
Ovid. ex Pont. 4, 3, 49 et 57.

Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens iacentem.
Nemo confidat nimium secundis,
Nemo desperet meliora lapsis.
Miscet haec illis prohibetque Clotho
Stare fortunam: rotat omne fatum.
Nemo tam divos habuit faventes,
Crastinum ut posset sibi polliceri.
Res deus nostras celeri citatas
Turbine versat. Sen. Thyest. 3, 614.

Fortuna vitrea est: tum, cum splendet, frangitur.
PUBL. SYR. 171 p. 271 ed. Ribbeck.

Fortunam tuam pressis manibus tene: lubrica est nec invita teneri potest. CURT. 7, 8.

Multa cadunt inter calicem supremaque labra.
GELL. N. A. 13, 17 e Graeco.

Fortuna nemini quicquam praestat.

Fortuna spondet multa multis, praestat nemini. Vive in dies et horas: nam proprium est nihil.
INSCRIPT. apud Orell. 406.

Nulli est homini perpetuum bonum. PLAUT. Curc. 1, 3, 33.

Non est tuum, fortuna quod fecit tuum.
LUCIL. in Anthol. Tom. 1 p. 46.

Quae fortuna possit eripere, quae non.

Omnium extrinsecus adfluentium lubrica et incerta possessio est. SEN. de const. 5, 7.

Quod non dedit fortuna, non eripit. SEN. Ep. 59 extr.

Nihil eripit fortuna, nisi quod dedit; virtutem autem non dat, ideo nec detrahit. SEN. de const. 5, 4.

Fortuna probitatem, industriam aliasque artes bonas neque dare neque eripere cuiquam potest SALL. Iug. 1, 1.

Minimum eripit fortuna, cui minimum dedit.
PUBL. SYR. 289 p. 278 ed. Ribbeck.

Fortuna opes auferre, non animum potest.
SEN. Med. 176.

Quicquid optimum homini est, id . . . nec dari nec eripi potest. SEN. de consol. ad Helv. 8, 4.

In tanta inconstantia turbaque rerum nihil nisi quod praeteriit certum est. Sen. de consol. ad Marc. 22, 1.

7. De felicitate. De rebus secundis.

Eius vita est beatissima, cuius et fortunae sapientia et sapientiae fortuna suppeditat.

Aristot. ap. Rutil. Lup. p. 24 ed. Ruhnk.

Nemo mortalium felix.

Nemo mortalium est felix. Abunde agitur atque indulgenter a fortuna deciditur cum eo, qui iure dici non infelix potest. Plin. Nat. Hist. 7, 40, 41, 130.

Ultima semper
Expectanda dies homini, dicique beatus
Ante obitum nemo supremaque funera debet.

Ovid. Met. 3, 135.

Incerta felicitas.

O Fortuna, quam vehementer te rerum varietas oblectat et quam magno odio est tibi beatae vitae perpetuus et constans fructus.! Rutil. Lup. p. 75 ed. Ruhnk.

Omnis instabilis et incerta felicitas est.

Sen. Controv. p. 70 ed. Bip.

Maximae fortunae minime credendum.

Maximae cuique fortunae minime credendum est.

Liv. 30, 30.

Tanto brevius omne, quanto felicius tempus.

Plin. Epist. 8, 14, 10.

Cum omnia, quae excesserunt modum, noceant, periculosissima felicitatis intemperantia est. Sen. deprov. 4, 10.

Non temere incerta casuum reputat, quem Fortuna numquam decepit. Liv. 30, 30.

Nimiae felicitatis quae incommoda.

Semel profecto premere felices deus
Cum coepit, urget; hos habent magna exitus.
Sen. Herc. Fur. 3, 713.

Fortuna plerumque eos, quos plurimis beneficiis ornavit, ad duriorem casum reservat. Hirt. bell. Alex. 25.

Nihil est periculosius in hominibus mutata subito fortuna. Quint. Declam. 260 p. 63 ed. Bip.

Nemo est, cui felicitas sua, etiam si cursu venit, satisfaciat. Sen. Epist. 115, 17.

Nihil infelicius eo, cui nihil umquam evenit adversi. Demetr. apud Sen. de prov. 3, 3.

Felicitas est superba. Curt. 5. 5.

Felicitas [multis] in socordiam vertit. Tacit. Agr. 31, 7.

Praesente fortuna peior est futuri metus.
Quint. Declam. 12, 5.

Res secundae quomodo adficiant animos hominum.

Fragilitatis humanae nimia in prosperis rebus oblivio est. Curt. 4, 14.

Advorsae res edomant et docent, quid opus sit facto; secundae res laetitia transvorsum trudere solent a recte consulendo atque intellegendo.
Cato apud Gell. N. A. 7, 3.

Miseriae tolerantur, felicitate corrumpimur.
Tacit. Hist. 1, 15.

Res secundae valent commutare naturam, et raro quisquam erga bona sua satis cautus est. Curt. 10, 1.

Raro simul hominibus bona fortuna bonaque mens datur. Liv. 30, 42.

Mortales inconsideratiores in secunda quam in adversa sunt fortuna. Cornel. Nep. Con. 5, 1.

Melius in malis sapimus, secunda rectum auferunt. Sen. Epist. 94, 74.

Luxuriant animi rebus plerumque secundis,
Nec facile est aequa commoda mente pati.
Ovid. A. A. 2, 437.

Est felicibus difficilis miseriarum vera aestimatio. Quintil. Decl. 9, 6.

Prospera fortuna dignum esse decet.

Magna conscientia est felicitatem meruisse. Quintil. Declam. 9, 17.

Res secundae quo animo ferendae.

Vobis hoc praecipue dico, iuvenes. Ideo in secundis rebus nihil quemquam superbe ac violenter consulere decet nec praesenti credere fortunae, cum quid vesper ferat incertum sit. Is demum vir erit, cuius animum nec prospero flatu ecferet nec adverso infringet. Liv. 45, 8.

Secundis nemo confidat, adversis nemo deficiat: alternae sunt vices rerum. Sen. Nat. Quaest. 3 praef. 7.

Omnes, cum secundae res sunt maxime, tum maxime
Meditari secum oportet, quo pacto advorsam aerumnam ferant.
Terent. Phorm. 2, 1, 12.

Neque secundarum rerum proventu quemquam insolenter abuti neque adversis propere debilitari oportet. Valer. Max. 8, 1, 3.

Cogita non esse magnum rebus prosperis fortem se gerere, ubi secundo cursu vita procedit.
Sen. de cons. ad Marc. 5, 5.

Magni pectoris est inter secunda moderatio.
Sen. Suasor. p. 4 ed. Bip.

In rebus prosperis et ad voluntatem nostram fluentibus superbiam magno opere, fastidium arrogantiamque fugiamus. Cic. de off. 1, 26, 90.

Bene ferre magnam disce fortunam. Hor. Od. 3, 27, 74.

Fortunam reverenter habe, quicumque repente
Dives ab exili progrediere loco. Auson. Ep. 8, 7.

8. De rebus adversis. De malis.

Quae mala molestissime ferenda.

Ea molestissime ferre homines debent, quae ipsorum culpa contracta sunt. Cic. ad Quint. Fratr. 1, 1, 1.

Miserrimus qui ex beato miser factus est.

Nihil est tam miserabile quam ex beato miser.
Cic. Partit. Or. 16.

Miseri sunt superstitiosi et queruli.

Hoc condicio humana vel pessimum habet, quod fortuna quos miseros facit et superstitiosos facit.
Sen. Exc. Contr. p. 465 ed. Bip.

Calamitas querula est. Curt. 5, 5.

Malum nullum sine aliquo bono.

Malum nullum est sine aliquo bono.
Plin. Nat. Hist. 27, 3, 2, 8.

Nil adeo fortuna gravis miserabile fecit,
Ut minuant nulla gaudia parte malum.
Ovid. ex Pont. 4, 4, 5.

Non singula mala ingruunt.

Aliud ex alio malum. Terent. Eun. 5, 6, 17.
Exoritur aliquod maius ex magno malum. Sen. Tr. 425.

Malorum sensus accrescit.

Malorum sensus accrescit die.
Leve est miserias ferre, perferre est grave.
Sen. Thyest. 306.

Calamitatis solacium sortem suam nosse.

Saepe calamitatis solacium est nosse sortem suam.
Curt. 4, 10.

Miseriae solacium aliorum miseria.

Levis est consolatio ex miseria aliorum.
Cic. ac fam. 6, 3, 4.
Malevoli solacii genus est turba miserorum.
Sen. de consol. ad Marc. 12, 5.
Dulce maerenti populus dolentum. Sen. Troad. 1014.

Miserum interdum miseria iuvat.

Nescio quomodo miserum esse interdum in miseria iuvat. Sen. Contr. 5 p. 327 ed. Bip.

Res adversae quomodo ferendae.

Gaudent magni viri rebus adversis, non aliter quam fortes milites bellis. Sen. de prov. 4, 4.
Magna laus et admirabilis videri solet tulisse casus

sapienter adversos, non fractum esse fortuna, retinuisse in rebus asperis dignitatem. Cic. de orat. 2, 85, 386.

Fortis et constantis est non perturbari in asperis rebus nec tumultuantem de gradu deici, ut dicitur, sed praesenti animo uti et consilio nec a ratione discedere.

Cic. de offic. 1, 23, 80.

Rebus in angustis facile est contemnere vitam;
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

Martial. Epigr. 11, 57, 15.

Nihil aeque magnam apud nos admirationem occupat quam homo fortiter miser. Sen. de cons. ad Helv. 13, 6.

Ii optime miserias ferunt, qui abscondunt. Curt. 5, 5.

Neminem adversa fortuna comminuit, nisi quem secunda decepit. Sen. cons. ad Helv. 5, 4.

Unum habet adsidua infelicitas bonum, quod quos semper vexat, novissime indurat. Sen. cons. ad Helv. 2, 3.

Ignis aurum probat, miseria fortes viros.

Sen. de prov. 5, 9.

Cogita non esse magnum rebus prosperis fortem se gerere, ubi secundo cursu vita procedit. . . . . adversi aliquid incurrat oportet, quod animum probet.

Sen. de consol. ad Marc. 5, 5.

Explorant adversa viros perque aspera duro
Nititur ad laudem virtus interrita clivo.

Sil. Ital. Pun. 4, 605.

Adversarum impetus rerum viri fortis non vertit animum. Sen. de prov. 2, 1.

Calamitas virtutis occasio est. Sen. de prov. 4, 6.

Praeteritorum malorum iucunda memoria.

Quae fuit durum pati, meminisse dulce est.
SEN. HERC. FUR. 3, 656.

Iucunda est memoria praeteritorum malorum.
CIC. de fin. 2, 32, 105.

BB. DE SINGULORUM HOMINUM VICTU. DE CORPORE. DE ANIMO. DE MENTE. DE RATIONE. DE INGENIO. DE IIS QUAE CUM HIS SUNT CONIUNCTA AUT EO SPECTANT.

a. DE CORPORE.

I.

DE CORPORE ET DE CORPORIS CURA.

1. De corpore.

Perniciosissimum in omni quidem vita quod nimium, praecipue tamen corpori. PLIN. Nat. Hist. 11, 54, 119, 284.

Adhibenda est munditia non odiosa neque exquisita nimis, tantum quae fugiat agrestem et inhumanam neglegentiam. CIC. de off. 1, 36, 130.

A forma removeatur omnis viro non dignus ornatus. *Id.* ib.

Cultus muliebris non exornat corpus.
QUINTIL. Inst. 8 prooem. 20.

2. De sensibus. De rerum specie.

Omnis sensus hominum multo antecellit sensibus bestiarum. CIC. de nat. deor. 2, 57, 143.

Meo iudicio est maxima in sensibus veritas, si et sani sunt et valentes et omnia removentur, quae obstant et impediunt. CIC. Acad. Quaest. 2, 7, 19.

Non oculos animo, sed animum oculis sequor, qui eadem quae mens vident, quotiens non vident alia.
PLIN. Epist 9, 36, 2.

Facilius ad ea, quae visa, quam ad illa, quae audita sunt, mentis oculi feruntur. CIC. de orat. 3, 41, 163.

Homines amplius oculis quam auribus credunt.
SEN. Epist. 6, 5.

Saepius inritant animos demissa per aurem,
Quam quae sunt oculis subiecta fidelibus et quae
Ipse sibi tradit spectator. HOR. de A. P. 180.

Fallunt nos oculi vagique sensus
Oppressa ratione mentiuntur.
PETRON. in Anthol. Lat. T. I. p. 62 ed. Meyer.

Fallaces sunt rerum species, quibus credimus.
SEN. de ben. 4, 34, 1.

Quaedam falsa veri speciem ferunt. SEN. de ira 2, 22, 2.

3. De forma et pulchritudine. De deformitate.

Gratior est pulchro veniens in corpore virtus.
VERG. Aen. 5, 344.

Forma bonum fragile est quantumque accedit ad annos,
Fit minor et spatio carpitur ipsa suo.
OVID. A. A. 2, 113.

Divitiarum et formae gloria fluxa et fragilis est.
SALL. Cat. 1, 1.

Formae dignitas aut morbo defloreſcit aut vetustate extinguitur. CORNIF. ad Herenn. 4, 57.

Florem decoris singuli carpunt dies.
SEN. (sive auctor trag.) Octav. 2, 141.

Forma viros neglecta decet. Ovid. A. A. 1, 509.

Sint procul a nobis iuvenes ut femina compti:
Fine coli modico forma virilis amat. Ovid. Her. 4, 75.

Non deformitate corporis foedatur animus, sed pulchritudine animi corpus ornatur. Sen. Epist. 66, 4.

Potest ingenium fortissimum ac beatissimum sub qualibet cute latere. Sen. Epist. 66, 1.

4. De vestimentis.

[Natura] unum animantium cunctorum alienis velat opibus, ceteris varie tegumenta tribuit, testas, cortices, spinas, villos, setas, pilos, plumam, pennas, squamas, vellera; truncos etiam arboresque cortice, interdum gemino, a frigoribus et calore tutata est.
Plin. Nat. Hist. 7 prooem.

Vestis frigoris depellendi causa reperta primo, post adhiberi coepta est ad ornatum etiam corporis et dignitatem. Cic. de orat. 3, 38, 155.

Mundae vestis electio adpetenda est homini.
Sen. Epist. 92, 12.

Saepe est etiam sub palliolo sordido sapientia.
Caecil. apud Cic. Tusc. 3, 23, 56.

Stultissimus est qui hominem aut ex veste aut ex condicione, quae vestis modo nobis circumdata est, aestimat. Sen. Epist. 47, 16.

5. De cibo.

Cibo quo utare interesse aliquid ad mentis aciem putant. Cic. de nat. deor. 2, 16, 43.

Esse oportet ut vivas, non vivere ut edas.
Cornif. ad Herenn. 4, 28.

Non est ante edendum, quam fames imperet.
SEN. Epist. 123, 2.

Parvo fames constat, magno fastidium. SEN. Ep. 17, 4.

Non fames nobis ventris nostri magno constat.
SEN. Epist. 60, 3.

Cupiditati nihil est satis, naturae satis est etiam parum. SEN. consol. ad Helv. 10, 11.

Nihil homini natura, quòd necessarium faciebat, fecit operosum. *Id.* 11, 1.

Ieiunus stomachus raro volgaria temnit.
HOR. Sat. 2, 2, 38.

. . . . . Cum sale panis
Latrantem stomachum bene leniet. HOR. Sat. 2, 2, 17.

Discite quam parvo liceat producere vitam,
Et quantum natura petat . . . . .
. . . . . Gurgite puro
Vita redit, satis est populis fluviusque Ceresque.
LUCAN. Phars. 4, 377.

Venter praecepta non audit: poscit, appellat; non est tamen molestus creditor: parvo dimittitur, si modo das illi quod debes, non quod potes. SEN. Ep. 21, 11.

Magister artis ingenique largitor
Venter. PERS. Prolog. Sat. 10.

Magna pars libertatis est bene moratus venter et contumeliae patiens. SEN. Epist. 123, 3.

Nemo liber est, qui corpori servit. SEN. Ep. 92, 33.

6. De potu. De vino.

Solet cibus, cum sumitur, tacitos efficere, potus loquaces. MACROB. Saturn. 7, 1.

Vino nihil iucundius quisquam bibit:
Hoc aegritudinem ad medendam invenerunt,
Hòc hilaritatis dulce seminarium,
Hoc continet coagulum convivia.
VARRO apud NON. 28, 19 p. 117 ed. Oehler.

Nullam . . . . sacra vite prius severis arborem:
Siccis omnia nam dura deus proposuit, neque
Mordaces aliter diffugiunt sollicitudines.
Quis post vina gravem militiam aut pauperiem crepat?
HORAT. Od. 1, 18.

Vino aluntur vires, sanguis colosque hominum.
PLIN. Nat. Hist. 23, 1, 22, 37.

Vino modico nervi iuvantur, copiosiore laeduntur; . . . stomachus recreatur et adpetentia ciborum invitatur, tristitia et cura hebetatur, ... somnus conciliatur. . . . . Asclepiades utilitatem vini aequari vix deorum potentia posse pronuntiavit. *Id.* ib.

Dant animos vina. OVID. Met. 12, 242.
Parant vina animos. OVID. A. A. 1, 237.

Quid non ebrietas designat? operta recludit,
Spes iubet esse ratas, in proelia trudit inermen.
HORAT. Epist. 1, 5, 16.

Nihil aliud est ebrietas quam voluntaria insania.
SEN. Epist. 83, 18.

Non est ab homine numquam sobrio postulanda prudentia. CIC. Phil. 2, 32, 81.

Ubi possedit animum nimia vis vini, quicquid mali latebat emergit. SEN. Epist. 83, 20.

II.

DE CORPORIS RECREATIONE. DE OTIO. DE AMBULATIONE. DE VECTATIONE. DE SOMNO. DE LUSU. DE FERIIS. DE FESTIS DIEBUS.

1. De corporis recreatione.

Labor voluptasque, dissimillima natura, societate inter se quadam naturali sunt iuncta. Liv. 5, 4.

Iucundum nihil est, nisi quod reficit varietas.
Publ. Syr. 246 p. 276 ed. Ribbeck.

2. De otio. De remissione et modica voluptate.

Omnes qui volunt vacant. Sen. Epist. 106, 1.

Nascitur ex adsiduitate laborum animorum hebetatio quaedam et languor. Sen. de tranq. 17, 5.

Indulgendum est animo dandumque subinde otium, quod alimenti ac virium loco sit. Sen. de tranq. 17, 8.

Danda est animis remissio, meliores acrioresque requieti surgent. Sen. de tranq. 17, 5.

Danda est [hominibus] aliqua remissio. . . . nam ea quoque, quae sensu et anima carent, ut servare vim suam possint, velut alterna quiete retenduntur.
Quint. Inst. 1, 3, 8, 35.

Vires instigat alitque
Tempestiva quies; maior post otia virtus.
Stat. Silv. 4, 4, 33.

Modica voluptas laxat animos et temperat.
Sen. de ira 2, 20, 3.

[Multi] levissimam delectationem gravissimae utilitati anteponunt. Cic. de orat. 2, 5, 21.

3. De ambulatione. De vectatione.

In ambulationibus apertis vagandum, ut caelo libero et multo spiritu augeat adtollatque se animus.

SEN. de tranq. 17, 8.

Vectatio iterque et mutata regio vigorem dabunt. *Id.* ib.

4. De somno.

Stulte, quid est somnus gelidae nisi mortis imago?

OVID. A. A. 2, 9, 41.

Somnus refectioni necessarius est. SEN. de tranq. 17, 6.

Omnia quae sensu volvuntur vota diurno,
Pectore sopito reddit amica quies.

CLAUD. praef. in VI. consul. Honor. 2.

5. De lusu.

Non me offenderit lusus in pueris: est hoc signum alacritatis; neque illum tristem semperque demissum sperare possum erectae circa studia mentis fore, cum in hoc quoque maxime naturali aetatibus illis impetu iaceat. QUINT. Inst. 1, 3, 10.

Mores inter ludendum se simplicius detegunt.

QUINT. Inst. 1, 3, 12,

Sic ludus animo debet aliquando dari,
Ad cogitandum melior ut redeat sibi.

PHAEDR. Fab. 3, 14, 12.

Innocuos censura potest permittere lusus.

MARTIAL. Epigr. 1, 4, 7.

Ludo et ioco uti illo quidem licet, sed sicut somno

et quietibus ceteris, tum cum gravibus seriisque rebus satisfecerimus. Cic. de off. 1, 29, 103.

Naturalem quandam voluptatem habet lusus iocusque, quorum frequens usus omne animis pondus omnemque vim eripiet. Sen. de tranq. 17, 6.

Ludendi quidam modus retinendus, ut ne nimis omnia profundamus elatique voluptate in aliquam turpitudinem delabamur. Cic. de off. 1, 29, 104.

6. De feriis.

Omnibus prodest subinde animum relaxare. Excitatur enim otio vigor et omnis tristitia, quae continuatione pertinacis studii adducitur, feriarum hilaritate discutitur. Sen. Contr. 1 p. 64 ed. Bip.

Graio schola nomine dicta est,
Iusta laboriferis tribuantur ut otia Musis.
Auson. Idyll. p. 158 ed. Bip.

Studium puerile fatiscit,
Laeta nisi austeris varientur festa profestis. *Id.* ib.

7. De festis diebus.

Legum conditores festos instituerunt dies, ut ad hilaritatem homines publice cogerentur.
Sen. de tranq. 17, 7.

III.

DE LABORE. DE INDUSTRIA ET ADSIDUITATE. – DE DESIDIA ET IGNAVIA. DE OTIO.

1. Labor et voluptas.

Labor voluptasque, dissimillima natura, societate inter se quadam naturali sunt iuncta. Liv. 5, 4.

Cogitate cum animis vostris, si quid vos per laborem recte feceritis, labor ille a vobis cito recedet, bene factum a vobis, dum vivitis, non abscedet. Sed si qua per voluptatem nequiter feceritis, voluptas cito abibit; nequiter factum illud apud vos semper manebit.

Cato apud Gell. N. A. 16, 1.

Perfer et obdura, labor hic tibi proderit olim.

Ovid. Amor. 3, 11, 7.

Da operam ne quid umquam invitus facias.

Sen. Epist. 61, 3.

Fallit voluptas et minus longa quae delectant videntur, ut amoenum ac molle iter, etiam si est spatii amplioris, minus fatigat, quam durum aridumque compendium. Quintil. Inst. 4, 2, 46.

Non qui iussus aliquid facit miser est, sed qui invitus facit. Sen. Epist. 61, 3.

Generosos animos labor nutrit. Sen. Epist. 31, 4.

Non est vir fortis ac strenuus, qui laborem fugit.

Sen. Epist. 22, 7.

Nil sine magno vita labore dedit mortalibus.

Horat. Sat. 1, 9, 59.

Acti labores iucundi. Cic. de fin. 2, 32, 105.

2. Diligentia et usus plurimum valet.

Diligentia omnibus in rebus plurimum valet. Haec praecipue colenda est nobis, haec semper adhibenda, haec nihil est quod non adsequatur. Cic. de or. 2, 35, 148.

Labor omnia vincit improbus. Vergil. Georg. 1, 145.

Omnia conando docilis sollertia vincit. Man. Astr. 1, 95.

Multa experiendo fiunt, quae segnibus ardua videntur. Tacit. Ann. 15, 59, 3.

Nihil est tam difficile et arduum, quod non humana mens vincat et in familiaritatem perducat adsidua meditatio. Sen. de ira 2, 12, 3.

Nihil est, quod non expugnet pertinax opera et intenta ac diligens cura. Sen. Epist. 50, 6.

Nihil est, quod non arte curaque, si non potest vinci, mitigetur. Plin. Epist. 8, 4, 4.

Adsiduus usus uni rei deditus et ingenium et artem saepe vincit. Cic. pro Balb. 20, 45.

Frequens ac mobilis transitus maximum perfecti operis impedimentum est. Vell. Pat. 1, 17, 7.

Reluctante natura inritus labor est. Sen. de tranq. 6, 2.

Suavis laborum est praeteritorum memoria. Cic. de fin. 2, 32, 105 e Graeco Eurip.

Nil agenti dies longus est. Sen. Epist. 122, 3.

Diligentia maximum etiam mediocris ingenii subsidium. Sen. Controv. Excerpt. 3 p. 397 ed. Bip.

Non possum equidem non ingenio primas concedere, sed tamen ipsum ingenium diligentia etiam ex tarditate incitat. Cic. de orat. 2, 35, 148.

Est rerum omnium magister usus, hominum adhibita sollertia. Caes. bell. civ. 2, 8.

3. Desidia hebetat et corrumpit corpus.

Interdum continuatus labor firmiores facit; saepe quos labor roboraverat, desidia consumpsit. Sen. Contr. p. 127 ed. Bip.

Vita humana prope uti ferrum est: si exerceas, conteritur; si non exerceas, tamen rubigo interficit . itidem homines exercendo videmus conteri; si nihil exerceas, inertia atque torpedo plus detrimenti facit, quam exercitio. Cato apud Gell. Noct. Att. 11, 2.

Ignavia corpus hebetat, labor firmat; illa maturam senectutem, hic longam adulescentiam reddit.

Cels. de med. 1, 1.

Blando . . . veneno
Desidiae virtus paulatim evicta senescit. Sil. It. 3, 580.

Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus,
Ut capiant vitium, ni moveantur aquae.

Ovid. ex Pont. 1, 5, 5.

Variam semper dant otia mentem. Lucan. 4, 704.

Nihil agendo homines male agere discunt.

Cato apud Colum. R. R. 12, 1.

4. Otium quomodo discutiatur.

Certum est otii vitia negotio discuti. Sen. Ep. 56, 9.

5. De desidiae praetextu.

Difficultatis patrocinia praeteximus segnitiae.

Quint. Inst. 1, 12, 16.

IV.

DE TUENDA VALETUDINE. DE VITAE AMORE.

De valetudinis cura.

Orandum est ut sit mens sana in corpore sano.

Iuven. Sat. 10, 356.

Ante omnia norit quisque naturam sui corporis. Cels. de med. 1, 1 p. 26 ed. Bip.

Valetudo sustentatur notitia sui corporis et observatione, quae res aut prodesse soleant aut obesse, et continentia in omni victu et cultu corporis tuendi causa [praetermittendis voluptatibus], postremo arte eorum, quorum ad scientiam haec pertinent. Cic. de off. 2, 24, 86.

Bonae valetudinis quasi quaedam mater est frugalitas. Valer. Max. 2, 5, 6.

Habenda est ratio valetudinis, utendum exercitationibus modicis, tantum cibi ac potionis adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur. Cic. Cat. mai. 11, 36.

Bona valetudo iucundior est iis, qui e gravi morbo recreati sunt, quam qui numquam aegro corpore fuerunt. Cic. ad Quir. post red. 1.

Cavendum ne in secunda valetudine adversae praesidia consumantur. Cels. de med. 1, 1 p. 20 ed. Bip.

Vita non summum bonum.

Honesta mors turpi vita potior, et incolumitas ac decus eodem loco sita sunt. Tacit. Agric. 33, 11.

Postremum omnium maximam turpitudinem suscipere vitae cupiditate. Cic. Phil. 13, 21, 49.

Summum crede nefas animam praeferre pudori
Et propter vitam vivendi perdere causas.
Iuven. Sat. 8, 83.

V.

DE MORBIS MORBORUMQUE REMEDIIS.

1. De morbis.

Morborum est infinita multitudo. Plin. N.H. 7, 51, 52, 172.

Aëre non certo corpora languor habet. Ovid. A. A. 2, 318.

Non domus et fundus, non aeris acervus et auri
Aegroto domini deduxit corpore febres.
Horat. Epist. 1, 2, 47.

Aegrum corpus quassari etiam levibus solet offensis.
Ammian. Marcell. 14, 5.

Prodest morbum suum nosse et vires eius antequam spatientur opprimere. Sen. de ira 3, 10, 4.

Quaedam ignorantibus aegris curanda sunt: causa multis moriendi fuit morbum suum nosse.
Sen. de brev. vit. 18, 6.

2. De morborum remediis.

Omne malum nascens facile opprimitur, inveteratum fit plerumque robustius. Cic. Phil. 5, 11, 31.

Principiis obsta: sero medicina paratur,
Dum mala per longas convalucre moras.
Ovid. Rem. Am. 1, 91.

Pudendum omnia animalia, quae sint salutaria ipsis, nosse praeter hominem. Plin. N. H. 27, 3, 2, 8.

Terra salutiferas herbas eademque nocentes
Nutrit, et urticae proxima saepe rosa est.
Ovid. Rem. Am. 1, 35.

Temporibus medicina valet: data tempore prosunt
Et data non apto tempore vina nocent.
Ovid. Rem. Am. 1, 131.

In morbis nihil est perniciosius quam inmatura medicina. Sen. de cons. ad Helv. 1, 2.

Nihil aeque sanitatem impedit, quam remediorum crebra mutatio. Sen. Epist. 2, 3.

Curando fieri quaedam maiora videmus
Volnera, quae melius non tetigisse fuit.
Ovid. ex Pont. 3, 7, 25.

Illa vera sunt remedia, quae fugatis morbis causisque languoris postea non sentiuntur. Quint. Decl. 14, 9.

Quaedam remedia graviora ipsis periculis sunt.
Sen. Contr. Exc. p. 448 ed. Bip.

Abominandum remedii genus est sanitatem debere morbo. Sen. de ira 1. 12, 6.

Plurimum remedia continuata proficiunt. Sen. Ep. 69, 2.

Nulla dura videtur curatio, cuius salutaris effectus est. Sen. de ira 1, 6, 2.

Cuncta prius tentanda; sed inmedicabile volnus
Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.
Ovid. Met. 1, 190.

Aegroto dum anima est, spes esse dicitur.
Cic. ad Att. 9, 10, 3.

Desperatis Hippocrates vetat adhibere medicinam.
Cic. ad Att. 16, 15, 5.

Nullam habet spem salutis aeger, quem ad temperantiam [?] hortatur medicus. Sen. Epist. 123, 17.

VI.

DE MORTE. DE SEPULTURA.

1. De morte.

Tota philosophorum vita commentatio mortis est.
Cic. Tusc. 1, 30, 74 e Graeco Platonis.

Incertum est quo te loco mors expectet: itaque tu illam omni loco expecta. Sen. Epist. 26, 7.

Ante senectutem curavi ut bene viverem, in senectute [curo] ut bene moriar; bene autem mori est libenter mori. Sen. Epist. 61, 2.

Minus mortem timet qui minus deliciarum novit in vita. Veget. R. M. 1, 3.

Stultitia est timore mortis mori. Sen. Epist. 70, 8.

Crudelius est quam mori semper timere mortem. Sen. Contr. Exc. 3 p. 406 ed. Bip.

Nulli potest secura vita contingere, qui de producenda nimis cogitat, qui inter magna bona multos consules numerat. Sen. Epist. 4, 4.

Omnes reservamur ad mortem. Totum hunc quem vides populum, quem usquam cogitas esse, cito natura revocabit et condet; nec de re, sed de die quaeritur. Sen. Nat. Quaest. 2. 59, 6.

Quem putas perissse, praemissus est. Sen. Epist. 63, 16. 99, 7.

Grande solacium est cum universo rapi. Sen. de prov. 5, 8.

Omnia mors poscit. Lex est, non poena perire. Sen. [nisi falsum est nomen] in Anthol. Lat. T. I. p. 47.

Longius aut propius mors sua quemque manet. Prop. Eleg. 2, 28, 58.

Moriendum certe est, et id incertum an hoc ipso die. Cic. Cat. mai. 20, 74.

Ipsum illud, quod vocatur mori, quo anima discedit a corpore, brevius est, quam ut sentiri tanta velocitas possit. Sen. de prov. 6, 9.

Felicissimis optanda mors est. Sen. de cons. ad Marc. 21, 1.

Mors, quae omnibus luctuosa videtur, pausam laborum adfert et sollicitudinum et calamitatum, miserrimisque corporum vinculis liberatos ad tranquilla nos et amoena et omnibus bonis referta animarum conciliabula transvehit. Fronto p. 148 ed. Nieb.

Omnium rerum mors est extremum. Cic. ad fam. 6, 21, 1.

Mors malorum finis est, nec saevitia ultra fata procedit. Quint. Decl. 12, 14.

Mors dolorum omnium exsolutio est et finis, ultra quem mala nostra non exeunt, quae nos in illam tranquillitatem, in qua antequam nasceremur iacuimus, reponit. Sen. de consol. ad Marc. 19, 5.

Bona mors est omnis, vitae quae extinguit mala. Publ. Syr. 68 p. 265 Ribb.

Vivendi finis est optimus, cum integra mente ceterisque sensibus opus ipsa suum eadem quae coagmentavit natura dissolvit. Cic. Cat. mai. 20, 72.

Cogita quantum boni opportuna mors habeat, quam multis diutius vixisse nocuerit. Sen. de cons. ad Marc. 20, 4.

Mihi videtur acerba semper et inmatura mors eorum, qui inmortale quid parant. Plin. Epist. 5, 5, 4.

Mors non optanda aut quaerenda.

Nihil mihi videtur turpius quam optare mortem.
Sen. Epist. 117, 22.

Rebus in angustis facile est contemnere vitam;
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.
Mart. 11, 57, 15.

Mors voluntaria improbanda.

Piis omnibus retinendus est animus in custodia cor-

poris, nec iniussu eius, a quo est ille vobis datus, ex hominum vita migrandum est, ne munus humanum adsignatum a deo defugisse videamini.

Cic. de republ. 6, 15, 15. (Somn. Scip. 3)

2. De sepultura.

Multos tangit sepultura, ad cogitationem post se futurorum plerique gravius moventur.

Quintil. Declam. 274 p. 112 ed. Bip.

Reddenda est terra terrae. Cic. Tusc. 3, 25, 59 ex Gr. Eur.

Inpensa monumenti supervacua est: memoria nostra durabit, si vita meruimus. Plin. Epist. 9, 19, 6.

Vita mortuorum in memoria est posita vivorum.

Cic. Phil. 9, 5, 10.

b. DE ANIMO. DE MENTE ET RATIONE. DE HONESTO S. DE VIRTUTE. DE TURPI S. DE VITIO. DE INGENIO. DE INSTITUTIONE. DE ARTIBUS ET LITTERIS. DE DOCTRINIS ET DISCIPLINIS. DE ANIMORUM INMORTALITATE.

I.

DE ANIMO. DE ANIMI STATU SANO ET AEGRO.

1. Quid intersit inter animum et rationem.

Duplex est vis animorum atque naturae: una pars in adpetitu posita est, quae est ὁρμὴ Graece, quae hominem huc et illuc rapit; altera in ratione, quae docet et explanat, quid faciendum fugiendumve sit.

Cic. de offic. 1, 28, 101.

2. De animi quieto et placido statu. De animi morbis.

Ut maris tranquillitas intellegitur nulla ne minima

quidem aura fluctus commovente, sic animi quietus et placatus status cernitur, cum perturbatio nulla est, qua moveri queat. Cic. Tusc. 5, 6, 16.

Temperantia est moderatio cupiditatum rationi oboediens. Cic. de fin. 2, 19, 60.

In animo perturbato, sicut in corpore, sanitas esse non potest. Cic. Tusc. 3, 4, 9.

Morbi perniciosiores pluresque animi quam corporis. Cic. Tusc. 3, 3, 5.

Animorum omnes morbi et perturbationes ex aspernatione rationis eveniunt. Cic. Tusc. 4, 14, 31.

Nihil rationis est, ubi semel adfectus inductus est. Sen. de ira 1, 8, 1.

Animus aeger, ut ait Ennius, semper errat, neque poti neque perpeti potest, cupere numquam desinit. Cic. Tusc. 3, 3, 5.

Magni adfectus iura non expectant. Quint. Declam. 296 p. 156 ed. Bip.

3. Adfectus in cuiusque potestate sunt. De sui imperio. De libertate. De servitute.

Adfectus nostri in nostra potestate sunt. Sen. Contr. 1 p. 75.

Quodcumque sibi imperavit animus obtinuit. Sen. de ira 2, 12, 4.

Qui voluptates suas temperantia frenavit ac domuit, multo maius decus maioremque victoriam sibi peperit, quam hoste victo habet. Liv. 30, 14, 7.

Multo se ipsum quam hostem superasse operosius est. Val. Max. 4, 1, 2.

Tu si animum vicisti potius quam animus te, est quod gaudeas.
PLAUT. Trin. 2, 2, 29.

Quae sit libertas quaeris? Nulli rei servire, nulli necessitati, nullis casibus, fortunam in aequum deducere. SEN. Epist. 51, 9.

Liber est, qui servitutem suam effugit.
SEN. Nat. Qu. 3 praef. 16.

Nulla servitus turpior est quam voluntaria.
SEN. Epist. 47, 17.

Sub marmore atque auro servitus habitat. SEN. Ep. 90, 10.

Quanto plus liceat, tum libeat minus.
CLEOBUL. apud Auson. p. 148 ed. Bip.

Deteriores sumus licentia. TERENT. Heaut. 3, 1, 74.

Quaedam, quae licent, tempore et loco mutato non licent. SEN. Contr. 4 p. 281 ed. Bip.

4. Remedium in tempore positum.

Quod ratio nequit, saepe sanavit mora. SEN. Agam. 1, 130.

Vulgo audio dici diem adimere aegritudinem hominibus.
TERENT. Heaut. 3, 1, 12.

5. De animi tranquillitate et securitate. De aequo animo.

Illa tranquillitas vera est, in quam bona mens explicatur. SEN. Epist. 56, 6.

In animi securitate vitam beatam ponimus.
CIC. de nat. deor. 1, 20, 53.

Animus aequus optimum est aerumnae condimentum.
PLAUT. Rud. 1, 2, 88.

Feras, non culpes quod mutari non potest.
PUBL. SYR. 158 p. 271 ed. Ribb.

Aequo animo excipe necessaria. Sen. Epist. 99, 22.

Nihil tam acerbum est, in quo non aequus animus solacium inveniat. Sen. de tranq. 10, 4.

Utique secunda expecto, malis paratus sum. Sen. Epist. 88, 17.

Nullum bonum adiuvat habentem, nisi ad cuius amissionem praeparatus est animus. Sen. Epist. 4, 6.

Quod vult habet, qui velle quod satis est potest. Publ. Syr. 443 p. 284 ed. Ribb.

Considera, quanto antecedas plures quam sequaris. Sen. de ira 3, 31, 3.

De moderatione.

Moderatio vocatur ignavia. Sen. Epist. 45, 7.

Continentia et moderatio bona sunt in altissima quaque fortuna eminentia. Curt. 6, 20.

6. De sui amore.

Suum cuique pulchrum est. Cic. Tusc. 5, 22, 63.

Aliena nobis, nostra plus aliis placent. Publ. Syr. 9 p. 262 ed. Ribb.

Suum cuique placet et, quocumque eatur, fabula eadem reperitur. Plin. Nat. Hist. 14, 6, 8, 71.

Qui ipsus sibi satis placet, nec probus est nec frugi bonae;
Qui ipsus se contemnit, in eo est indoles industriae. Plaut. Trin. 2, 2, 40.

7. De iis, qui sorte sua contenti sunt. De iis, qui in sorte sua non adquiescunt.

Laetus sorte tua vives sapienter. Hor. Epist. 1, 10, 44.

Profecto ut quisque minimo contentus fuit,
Ita fortunatam vitam duxit maxime.
SEXT. TURPIL. ap. Prisc. de metr. p. 1326 P. p. 88 Ribb.

Suae quemque fortunae maxime paenitet.
CIC. ad fam. 6, 1, 1.

Qui fit, . . . ut nemo, quam sibi sortem
Seu ratio dederit seu fors obiecerit, illa
Contentus vivat, laudet diversa sequentis?
HOR. Sat. 1, 1 sqq.

Cui placet alterius, sua nimirum est odio sors.
HOR. Epist. 1, 14, 11.

8. Modus in omnibus servandus. Mediocritas optima.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.
HOR. Sat. 1, 1, 106.

Vitiosum est ubique quod nimium est.
SEN. de tranq. an. 9, 6.

Modus omnibus in rebus . . . optimum habitu est;
Nimia omnia nimium exhibent negotium hominibus ex se.
PLAUT. Poen. 1, 2, 29.

Medio tutissimus ibis. OVID. Met. 2, 137.

In plerisque rebus mediocritas optima est.
CIC. de off. 1, 36, 130.

Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit, et intra
Fortunam debet quisque manere suam.
OVID. Trist. 3, 4, 25.

Qua positus fueris in statione mane. Ovid. Fast. 2, 674.

Vive tibi et longe nomina magna fuge.
Ovid. Trist. 3, 4, 3.

In praestantibus rebus magna sunt ea, quae sunt optimis proxima. Cic. Orat. 2, 6.

Prima sequentem honestum est in secundis tertiisque consistere. Cic. Orat. 1, 4.

Ut satius unum aliquid insigniter, quam facere plurima mediocriter, ita plurima mediocriter, si non possis unum aliquid insigniter. Plin. Epist. 9, 29, 1.

Stet quicumque volet potens aulae culmine lubrico,
Me dulcis saturet quies. Obscuro positus loco
Leni perfruar otio. Nullis nota Quiritibus
Aetas per tacitum fluat. Sic cum transierint mei
Nullo cum strepitu dies, plebeius moriar senex.
Senec. Thyest. 391.

9. Animi generositas et magnitudo.

Habet hoc optimum in se generosus animus, quod concitatur ad honesta Neminem excelsi ingenii virum humilia delectant et sordida; magnarum rerum species ad se vocat et extollit. Sen. Epist. 39, 2.

Nemo vir magnus sine aliquo adflatu divino umquam fuit. Cic. de nat. deor. 2, 66, 167.

Generosa res est respicientem non ad suas, sed ad naturae suae vires conari alta, temptare et mente maiora concipere, quam quae etiam ingenti animo adornatis effici possunt. Sen. de vit. beat. 20, 2.

Magno animo de rebus magnis iudicandum est; alioquin videbitur illarum vitium esse, quod nostrum est. Sen. Epist. 71, 24.

Proprium est magnitudinis verae non sentire percussum. Sen. de ira 3, 25, 3.

10. De honoris studio.

Licet vitium sit ambitio, frequenter tamen causa virtutum est. Quintil. Inst. orat. 1, 2, 22, 30.

De pudore.

Ego illum periisse dico, cui quidem periit pudor. Plaut. Bacch. 3, 3, 81.

11. De audacia.

Qui homo timidus erit in rebus dubiis, nauci non erit. Ptaut. Most. 5, 1, 1.

Crescit audacia experimento. Plin. Epist. 9, 33, 6.

Quod si deficiant vires, audacia certe
Laus erit: in magnis et voluisse sat est.
Propert. Eleg. 2, 10, 5.

Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.
Ovid. ex Pont. 3, 4, 79.

Suspice, etiam si decidunt, magna conantis.
Sen. de vit. beat. 20, 2.

Dimidium facti qui bene coepit habet.
Horat. Epist. 1, 2, 40.

Multa non quia difficilia sunt, non audemus, sed quia non audemus, difficilia sunt. Sen. Epist. 104, 26.

In rebus asperis et tenuibus fortissima quaeque consilia tutissima sunt. Liv. 25, 28.

12. De nimia fiducia.

Nimia fiducia magnae calamitati solet esse.
Cornel. Pelop. 3, 1.

13. De patientia.

Speremus quae volumus, sed quod acciderit feramus.
Cic. pro Sest. 68, 153.

Optimum est pati quod emendare non possis.
Sen. Epist. 107, 9.

Praeterita mutare non possumus. Cic. in Pis. 25, 59.

Unum est levamentum malorum pati et necessitatibus suis obsequi. Sen. de ira 3, 16, 1.

Gaudet patientia duris:
Laetius est, quotiens magno sibi constat honestum.
Lucan. Phars. 9, 403.

Patientia quaeri debet quod gratia impetrari nequit.
Valer. Max. 7, 5 prooem.

14. De constantia. De pertinacia.

Nihil est, quod tam deceat, quam in omni re gerenda consilioque capiendo servare constantiam.
Cic. de off. 1, 34, 125.

Pertinacia impedimentum omne transcendit ostenditque nihil esse difficile, cuius sibi ipsa mens patientiam indiceret. Sen. de ira 2, 12, 5.

Cuius rei eventus incertus est, id ut aliquando procedat saepe temptandum est. Sen. Epist. 81, 2.

15. De nova cognoscendi cupiditate. De curiositate.

Aures hominum novitate laetantur. Plin. Ep. 8, 18.

Hominum natura novitatis ac peregrinationis avida est. Plin. N. H. 17, 10, 12, 66.

Acrior est cupiditas ignota cognoscendi, quam nota repetendi. . . . . Ad nova omnes concurrunt, ad nova conveniunt. Sen. Exc. Contr. p. 412 ed. Bip.

Curiosus nemo est, quin sit malevolus.
Plaut. Stich. 1, 3, 54.

Quidam incredibilium relatu commendationem parant et lectorem aliud acturum, si per cotidiana duceretur, miraculo excitant. Sen. Nat. Qu. 7, 16, 1.

De imitandi studio.

Proponamus laudanda, invenietur imitator.
Sen. Epist. 95, 66.

Dociles imitandis
Turpibus ac pravis omnes sumus. Iuven. Sat. 14, 40.

16. De consuetudine.

Consuetudinis magna vis est. Cic. Tusc. 2, 17, 40.

Consuetudo quasi altera natura. Cic. de fin. 5, 25, 74.

Difficile est mutare animum et, si quid est penitus insitum moribus, id subito evellere. Cic. ad Quint. 1, 2, 1.

Difficile est longum subito deponere amorem.
Catull. 77, 13.

Frangas citius quam corrigas quae in pravum induruerunt. Quintil. Inst. 1, 3, 12,

Quod male fers, adsuesce: feres bene. Multa vetustas Lenit. Ovid. A. A. 2, 647.

Nihil miserum est, quod in naturam consuetudo per-

duxit: paulatim enim voluptati sunt quae necessitate coeperunt. Sen. de prov. 4, 15.

Naturam expellas furca, tamen usque recurret. Horat. Epist. 1, 10, 24.

Naturam mutare difficile est. Sen. de ira 2, 20, 2.

Ad mores natura recurrit

Damnatos fixa et mutari nescia. Iuven. Sat. 13, 239.

Causarum ignoratio in re nova mirationem facit. Cic. de div. 2, 22, 49.

Quod quis crebro videt non miratur, etiamsi cur fiat nescit. Cic. de div. 2, 22, 49.

Quamdiu solita decurrunt, magnitudinem rerum consuetudo subducit. Ita enim compositi sumus, ut nos cotidiana, etiamsi admiratione digna sunt, transeant; contra minimarum quoque rerum, si insolitae prodierunt, spectaculum dulce fiat. Sen. Nat. Quaest. 7, 1, 1.

Naturale est magis nova quam magna mirari. *Id.* ib. 4.

De antiquitatis admiratione.

Crescit apud me tractatu ipso admiratio antiquitatis. Plin. Nat. Hist. 27 init.

17. De spe.

Omnia homini dum vivit speranda sunt. Sen. Ep. 70, 6.

Magnae indolis signum est sperare semper. Flor. Hist. 4, 8, 4.

Nondum omnium dierum sol occidit. Philipp. ap. Liv. 39, 26, 9.

Credula vitam

Spes fovet et melius cras fore semper ait. Tibull. Eleg. 2, 7, 19.

Inter voluptates est superesse quod speres.
SEN. de ira 3, 31, 3.

Spes est ultimum adversarum rerum solacium.
SEN. Excerpt. Contr. p. 428 ed. Bip.

Maxime commovent quae contra spem expectationemque evenerunt. SEN. de ira 2, 31, 2.

Nihil gravius quam destitutae spes torquent.
QUINT. Declam. 12, 17.

18. De periculorum metu, contemptu, fuga.

Pericla timidus etiam quae non sunt videt.
PUBL. SYR. 371 p. 281 ed. Ribb.

Cum feriant unum, non unum fulmina terrent.
OVID. ex Pont. 3, 2, 9.

Saepe ad retinendam vitam prosunt ipsa pericula.
QUINTIL. Declam. 292 p. 151 ed. Bip.

Contemptum periculorum adsiduitas periclitandi dabit. SEN. de prov. 4, 12.

Numquam periculi fuga committendum est, ut inbelles timidique videamur. Sed fugiendum etiam illud, ne offeramus nos periculis sine causa, quo nihil potest esse stultius. CIC. de offic. 1, 24, 83.

Inscitia est adversus stimulum calces.
TER. Phorm. 1, 2, 27.

19. De desperatione.

Animus, qui dubiis rebus forsitan fuerit infirmior, desperatis confirmatus est plurimum. CIC. ad fam. 5, 21, 3.

Ignaviam necessitas acuit et saepe desperatio spei causa est. CURT. 5, 4.

Solent suprema facere securos mala. Sen. Oed. 386.

Desperatio magnum ad honeste moriendum incitamentum. Curt. 9, 5.

20. De voluptate.

De inlecebris voluptatis.

Id agere debemus ut inritamenta vitiorum quam longissime profugiamus. Sen. Epist. 51, 5.

Impia sub dulci melle venena latent.
Ovid. Amor. 1, 8, 104.

Divine Plato escam malorum voluptatem appellat, quod ea videlicet homines capiantur ut hamo pisces.
Cic. Cat. mai. 13, 44.

Voluptas cito transit.

Cito nos omnis voluptas relinquit, quae fluit et transit et paene antequam veniat aufertur.
Sen. de cons. ad Polyb. 29, 3.

Voluptas plurimorum malorum causa.

Sperne voluptates: nocet empta dolore voluptas.
Hor. Epist. 1, 2, 55.

Voluptati indulgere initium omnium malorum est.
Sen. Epist. 110, 10.

Maximas virtutes iacere omnes necesse est voluptate dominante. Cic. de fin. 2, 35, 117.

Non est tantum ab hostibus armatis aetati nostrae periculum, quantum ab circumfusis undique voluptatibus. Liv. 30, 14.

Omnia, quaecumque toto orbe terrarum committun-

tur, scelera circumspicite, pleraque ex cupiditate nascuntur: haec latrones facit, haec piratas.

QUINT. Declam. 321 p. 241 ed. Bip.

Nemo non voluptate trahitur.

Trahit sua quemque voluptas. VERGIL. Ecl. 2, 65.

Nitimur in vetitum; ignoti nulla cupido.

Diliguntur inmodice sola quae non licent. . . . . Non nutrit ardorem concupiscendi, ubi frui licet.

QUINTIL. Declam. 14, 8.

Nitimur in vetitum semper cupimusque negata.

OVID. Amor. 3, 4, 17.

Ignoti nulla cupido. OVID. A. A. 3, 397.

Omnis mora cupientibus ingrata.

Animo cupienti nihil satis festinatur. SALL. Iug. 64.

Etiam celeritas in desiderio mora est.

PUBL. SYR. 139 p. 270 ed. Ribb.

Longa mora est nobis omnis, quae gaudia differt.

OVID. Her. 19, 3.

Nihil est difficilius quam differre gaudium, quod scias te non mereri. QUINT. Decl. 2, 15.

Voluptatis satietas.

Nihil aeque gratum est adeptis quam concupiscentibus. PLIN. Epist. 2, 15.

Omnium rerum cupido languescit, cum facilis occasio est. PLIN. Epist. 8, 20, 1.

Continuis voluptatibus vicina satietas.

QUINT. Declam. 306 p. 188 ed. Bip.

Omnibus in rebus voluptatibus maximis fastidium finitimum est. Cic. de or. 3, 25, 100.

Nulla est voluptas, quae non adsiduitate fastidium pariat. Plin. N. H. 12, 17, 40, 81.

21. De gaudio.

Cum ratione animus cum movetur placide atque constanter, tum illud gaudium dicitur.

Cic. Tusc. 4, 6, 13.

Omnes tendunt ad gaudium, sed unde stabile magnumque consequantur ignorant. Sen. Epist. 59, 15.

Gaudium hoc [sc. stabile magnumque] non nascitur nisi ex virtutum conscientia. *Id.* ib. 17.

Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu.

Tibull. Eleg. 4, 13, 8.

22. De laetitia.

Laetitia est exultatio quaedam animi cum gaudio efferventiore rerum expetitarum. Gell. N. A. 2, 27.

Nulli iactantius maerent quam qui maxime laetantur. Tac. Ann. 2, 77, 4.

De risu.

Risu inepto res ineptior nulla est. Catull. 39, 16.

23. De dolore.

Est aliquis et dolendi decor, hic sapienti servandus est. Sen. Epist. 99, 21.

Difficile est tacere cum doleas. Cic. pro Sull. 10, 31.

Crescit dissimulatione ipsa dolor, hoc altius demissus, quo minus profiteri licet. Iustin. Hist. 8, 5, 11.

Multum prodest provisio animi et praeparatio ad minuendum dolorem. Cic. Tusc. 3, 14. 30.

Cuivis dolori remedium est patientia.
Publ. Syr. 106 p. 268 ed. Ribb.

Dies adimit aegritudinem hominibus.
Ter. Heaut. 31, 13.

Nullus dolor est, quem non longinquitas temporis minuat atque molliat. Sulpic. apud Cic. Ep. ad fam. 4, 5, 6.

Quod ratio nequiit, saepe sanavit mora. Sen. Agam. 1, 130.

Tempus facit aerumnas leves. Sen. Thyest. 305.

Doloris magnitudinem celeritas, diuturnitatem adlevatio consolatur. Cic. de fin. 1, 12, 40.

Epicurus dicebat nullum dolorem longum esse, qui magnus esset. Sen. Epist. 30, 14.

Habet praeteriti doloris secura recordatio delectationem. Cic. ad fam. 5, 12.

24. De dolentium lacrimis.

Plerumque omnis dolor per lacrimas effluit.
Sen. Contr. 5 p. 327 ed. Bip.

Excidunt etiam retinentibus lacrimae et animum profusae levant. Sen. Epist. 99, 15.

Est quaedam flere voluptas:
Expletur lacrimis egeriturque dolor.
Ovid. Trist. 4, 3, 37.

Nulla flendi est maior causa quam flere non posse.
Sen. Excerpt. Contr. p. 416 ed. Bip.

Cito crescit lacrima praesertim in alienis malis.
Cic. Part. Orat. 17.

25. De tristitia.

Tristitia inhabilis est ad dispiciendas res, utilia excogitanda, periculosa vitanda. Sen. de clem. 2, 6, 1.

Difficile est tristi fingere mente iocum.

Tibull. Eleg. 3, 7, 2.

26. De sollicito et anxio animo.

Semper apud sollicitos in deterius prona persuasio est. Quint. Declam. 11, 3.

Calamitosus est animus futuri anxius. Sen. Epist. 98, 6.

Cura . . . interdum nulla medicabilis arte,
Aut, ut sit, longa est attenuanda mora.

Ovid. ex Pont. 1, 3, 25.

27. De metu et timore.

Metus interpres semper in deteriora inclinatus.

Liv. 27. 46.

Degeneres animos timor arguit. Verg. Aen. 4, 13.

Degeneres trepidant animi peioraque versant.

Lucan. Phars. 6, 17.

Epicurus censet stultam esse meditationem futuri mali aut fortasse ne futuri quidem: satis esse odiosum malum omne, cum venisset. Cic. Tusc. 3, 15, 32.

Saepe ne utile quidem scire quid futurum sit: miserum est enim nihil proficientem angi.

Cic. de nat. deor. 3, 6, 4.

Si vultis nihil timere, cogitate omnia esse timenda.

Sen. Nat. Quaest. 6, 2, 3.

Ratio terrorem prudentibus excutit. *Id.* ib. 1.

Timendi causa est nescire. *Id.* ib. 6, 3, 4.

Nemo sine aliqua iactura sanitatis expavit.
Id. ib. 6, 29, 2.

28. De ira.

Dis proximus ille,
Quem ratio, non ira movet. Claud. de Mall. cons. 227.

Ira furor brevis est: animum rege; qui nisi paret,
Imperat; hunc frenis, hunc tu compesce catena.
Hor. Epist. 2, 2, 62.

Inmodica ira gignit insaniam. Sen. Epist. 18, 14.

Clausae sunt aures obstrepente ira. Curt. 8, 1.

Quid est dementius quam bilem in homines collectam in res effundere? Sen. de ira 2, 26, 3.

Iratus cum ad se rediit, sibi tum irascitur.
Publ. Syr. 240 p. 276 ed. Ribb.

Maximum remedium irae mora est. Sen. de ira 2, 29, 1.

II.

DE MENTE ET RATIONE.

1. Quid sit mens et ratio.

Mens cuiusque, is est quisque, non ea figura, quae digito demonstrari potest.
Cic. de rep. 6, 24, 26 s. Somn. Scip. 8.

Ratio docet et explanat, quid faciendum fugiendumve sit. Cic. de offic. 1, 28, 101.

Domina omnium et regina ratio. Cic. Tusc. 2, 21, 47.

2. De mentis et rationis praestantia.

Nihil sine ratione faciendum est. Sen. de ben. 4, 10, 2.

Nihil potest esse diuturnum, cui non subest ratio.
Curt. 4, 14.

Bonum sine ratione nullum est; sequitur autem ratio naturam. Sen. Epist. 66, 39.

Nihil per se amplum est, nisi in quo iudicii ratio extet. Cic. Epist. ad Brut. 1, 16 extr.

3. De iis, quae intellegentiae officiunt. Homo ignarus futuri temporis.

Animus noster ad vera perspicienda caligat.
Sen. Epist. 71, 24.

O miseras hominum mentes et pectora caeca!
Qualibus in tenebris vitae quantisque periclis
Degitur hoc aevi quodcumque est!
Lucret. de rer. nat. 2, 14.

Nemo mortalium omnibus horis sapit.
Plin. Nat. Hist. 7, 40, 41, 131.

Male humanis consiliis natura consuluit, quod plerumque non futura, sed transacta perpendimus.
Curt. 8, 2.

Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit deus. Hor. Od. 3, 29, 29.
Nescia mens hominum fati sortisque futurae.
Verg. Aen. 10, 501.
Quid quisque vitet, numquam homini satis
Cautum est in horas. Hor. Od. 2, 13, 13.

4. De investigandi sollertia.

Nullum non cogitationi pervium tempus.
Sen. Epist. 102, 22.

Epicharmium illud teneo: nervos atque artus esse sapientiae non temere credere. Cic. Petit. cons. 10.

Nihil est tam difficile et arduum, quod non humana mens vincat et in familiaritatem perducat adsidua meditatio. Sen. de ira 2, 12, 3.

Nil tam difficile est, quin quaerendo investigari possiet.
Terent. Heaut. 4, 2, 8.

Rudis fuit priscorum vita atque sine litteris; non minus tamen ingeniosam fuisse in illis observationem apparebit, quam nunc esse rationem.
Plin. Nat. Hist. 18, 29, 69, 284.

Dum omnia quaerimus, aliquando ad verum, si minime expectavimus, pervenimus. Quint. Inst. 12, 8, 11.

In re, quae plus de incerto habet, temeritas experimenti solam probat desperationis audaciam.
Quint. Declam. 8, 11.

Nulli sapere casu obtigit. Sen. Epist. 76, 6.

Nisi per te sapias, frustra sapientem audias.
Publ. Syr. 327 p. 279 ed. Ribbeck.

Licet sapere sine pompa, sine invidia. Sen. Ep. 103, 5.

5. De veritate.

Nihil est veritatis luce dulcius. Cic. Acad. 2, 10, 31.

Natura cupiditatem ingenuit homini veri videndi.
Cic. de fin. 2, 14, 46.

Omnes trahimur et ducimur ad cognitionis et scientiae cupiditatem, in qua excellere pulchrum putamus.
Cic. de offic. 1, 6, 18.

Patet omnibus veritas, nondum est occupata; multum ex illa etiam futuris relictum est. Sen. Ep. 33, 11.

Veritas numquam latet. Sen. Troad. 618.

Veritatem laborare nimis saepe aiunt, extingui numquam. Liv. 22, 39.

Veritas in omnem partem sui semper eadem est. Sen. Epist. 79, 18.

Veritatis una vis, una facies est. Sen. Ep. 102, 13.

Numquam falsis constantia est. *Id.* ibid.

Veritatem dies aperit. Sen. de ira 2, 22, 3.

Ficta omnia tamquam flosculi decidunt, nec simulatum quicquam potest esse diuturum. Cic. de offic. 2, 12, 43.

Iis, quae consecravit sapientia, noceri non potest: nulla abolebit aetas, nulla diminuet. Sen. de brev. vit. 15, 4.

6. De sapientia. De prudentia.

Quid est sapientia? semper idem velle atque idem nolle. Sen. Epist. 20, 5.

A natura non deerrare et ad eius legem exemplumque formari sapientia est. Sen. de beat. vit. 3, 3.

Istuc est sapere, non quod ante pedes modo'st
Videre, sed etiam illa, quae futura sunt,
Prospicere. Terent. Ad. 3, 3, 32.

Qui ipse sibi sapiens prodesse non quit, nequiquam sapit. Enn. Med. ap. Cic. ad fam. 7, 6, 2; fragm. p. 130 ed. Vahlen.

Laudem sapientiae statuo esse maximam non aliunde pendere nec extrinsecus aut bene aut male vivendi suspensas habere rationes. Cic. ad fam. 5, 13, 1.

Sapientissimum esse dicunt eum, cui quod opus sit veniat in mentem; proxime accedere ad illum, qui alterius bene inventis obtemperet. Cic. pro Cluent. 31, 84.

Saepe audivi eum primum esse virum, qui ipse consulat, quid in rem sit; secundum eum, qui bene monenti oboediat; qui nec ipse consulere nec alteri parere sciat, eum extremi ingenii esse. Liv. 22, 29.

Ex vitio alius sapiens emendat suum.

Publ. Syr. 152 p. 270 ed. Ribb.

Scitum est periculum ex aliis facere, tibi quod ex usu siet.

Ter. Heaut. 1, 2, 36.

Felix, quicumque dolore

Alterius disces posse cavere tuo. Tibull. Eleg. 3, 6, 43.

Prudentia est rerum expetendarum fugiendarumque scientia. Cic. de offic. 1, 43, 153.

Prudentia in dilectu bonorum et malorum cernitur.

Cic. de fin. 5, 23, 67.

Ut medicina valetudinis, sic vivendi ars est prudentia. *Id.* ib. 5, 6, 16.

Exercitatio intellegendi prudentiam acuit.

Id. de or. 1, 20, 90.

7. De consiliis capiendis. De deliberatione.

Moneo ut agentem te ratio ducat, non fortuna.

Liv. 22, 39.

Plura consilio quam vi perficimus. Tacit. Ann. 2, 26, 4.

Omnes homines, qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira atque misericordia vacuos esse decet. Haud facile animus verum providet, ubi illa officiunt, neque quisquam omnium lubidini simul et usui paret.

Caesar apud Sall. Cat. 51, 1.

Consilium resque locusque dabunt. Ovid. Trist. 1, 1, 92.

Faciendi aliquid vel non faciendi vera ratio cum hominum ipsorum, tum rerum etiam ac temporum ratione initur. Plin. Epist. 6, 27, 4.

Deliberandum est diu quod statuendum est semel. Publ. Syr. 116 p. 268 ed. Ribbeck.

Ad paenitendum properat, cito qui iudicat. Publ. Syr. 5 p. 262 ed. Ribbeck.

Posteriores cogitationes, ut aiunt, sapientiores esse solent prioribus.

Cic. Phil. 12, 2, 5 ex Graeco Euripid. in Hippol.:

αἱ δεύτεραί πως φροντίδες σοφώτεραι.

Nemo doctus umquam mutationem consilii inconstantiam dixit esse. Cic. ad Att. 16, 7, 3.

Optimus est portus paenitenti mutatio consilii. Cic. Phil. 12, 2, 7.

8. Suae cuique vires respiciendae.

In omnibus negotiis, priusquam aggrediare, adhibenda est praeparatio diligens. Cic. de offic. 1, 21, 73.

Sine pennis volare haud facile est. Plaut. Poen. 4, 2, 49.

Frequenter inrita est eius voluntas, qui non quae facilia sunt aggreditur, sed vult facilia esse quae aggressus est. Sen. de ira 3, 7, 1.

Quotiens aliquid conaberis, te simul et ea quae paras quibusque pararis ipse metire. Sen. de ira 3, 7, 2.

Ad rem gerendam qui accedit, caveat ne id modo consideret, quam illa res honesta sit, sed etiam ut habeat efficiendi facultatem; in quo ipso considerandum

est, ne aut temere desperet propter ignaviam aut nimis confidat propter cupiditatem. Cic. de off. 1, 21, 73.

Vires nostrae cum rebus, quas temptaturi sumus, comparandae. Sen. de tranq. 6, 4.

Noscenda est mensura sui spectandaque rebus
In summis minimisque. Iuven. Sat. 11, 35.

Aptari onus viribus debet nec plus occupari, quam cui sufficere possimus. Sen. Epist. 108, 2.

Opus est ad notitiam sui experimento; quid quisque posset, nisi temptando non didicit. Sen. de prov. 4, 3.

Minime sibi quisque notus est et difficillime de se quisque sentit. Cic. de orat. 3, 9, 33.

Ita comparata est hominum natura omnium,
Aliena ut melius videant et diiudicent quam sua.
Terent. Heaut. 3, 1, 97.

In suo quisque negotio hebetior est quam in alieno.
Curt. 7, 4.

9. Consultis facta coniungenda. Occasione utendum.

Priusquam incipias, consulto, et ubi consulueris, mature facto opus est. Sallust. Cat. 1, 4.

Deliberando saepe perit occasio.
Publ. Syr. 115 p. 268 ed. Ribbeck.

Omnia honesta opera voluntas incohat, occasio perficit. Sen. Exc. Controv. 4, 7 p. 425 ed. Bip.

Occasio aegre offertur, facile amittitur.
Publ. Syr. 345 p. 280 ed. Ribbeck.

Si in occasionis momento, cuius praetervolat oppor-

tunitas, cunctatus paullum fueris, nequiquam mox amissam quaeras. Liv. 25, 38.

Non tantum praesentis, sed vigilantis est occasionem observare properantem: itaque hanc circumspice, hanc si videris prende. Sen. Epist. 22, 3.

Certa amittimus, dum incerta petimus
Plaut. Pseud. 2, 3, 19,

Rem tibi quam nosces aptam dimittere noli:
Fronte capillata est, post haec occasio calva.
Cat. Dist. 2, 26.

10. Quae iis, qui consilia exequuntur, observanda sint. Principia potissimum rerum spectanda.

In ruinam prona sunt, quae sine fundamentis crevere. Sen. de ira 1, 20, 2.

Multa, quae singula accidere possunt, universa extra casum sunt. Quint. Declam. 296 p. 159 ed. Bip.

Nihil invenies tam manifestae utilitatis, quod non in contrarium transeat culpa. Sen. N. Qu. 5, 18, 15.

Arduum est de his, quae coniectura sequenda sunt, aliquid certi promittere. Sen. N. Qu. 6, 20, 5.

Tu quod cavere possis, stultum admittere est.
Terent. Eun. 4, 6, 24.

Vigilandum est semper: multae insidiae sunt bonis.
Acc. Trag. apud Cic. pro Planc. 24, 59.

Caret periclo, qui etiam cum est tutus cavet.
Publ. Syr. 82 p. 266 ed. Ribbeck.

Non sine usu fuerit introspicere illa primo aspectu levia, ex quibus magnarum saepe rerum motus oriuntur.
Tacit. Ann. 4, 32.

Ex parvis saepe magnarum momenta rerum pendent. Liv. 27, 9.

Omnium rerum principia parva sunt. Cic. de fin. 5, 21, 58.

Omne malum nascens facile opprimitur, inveteratum fit plerumque robustius. Cic. Phil. 5, 11, 31.

Quarundam rerum initia in nostra potestate sunt; ulteriora nos vi sua rapiunt nec regressum relinquunt. Sen. de ira 1, 7, 4.

Parva saepe scintilla contempta magnum excitavit incendium. Curt. 6, 3.

Flamma recens parva sparsa resedit aqua. Ovid. Her. 17, 190.

Neglecta solent incendia sumere vires. Horat. Epist. 1, 18, 85.

Extincta parum fideliter incendia maiore flamma reviviscunt. Flor. Hist. 3, 5, 14.

Tunc tua res agitur, paries cum proximus ardet. Horat. Epist. 1, 18, 84.

11. De festinatione et temeritate. De tarditate et procrastinatione.

Festina lente (σπεῦδε βραδέως). Sueton. Aug. 25.

Omnis nimium longa properanti mora est. Sen. Agam. 421.

Tolle moras: semper nocuit differre paratis. Lucan. Phars. 1, 282.

Nullus cunctationi locus est in eo consilio, quod non potest laudari nisi peractum. Tacit. Hist. 1, 38.

Omnia non properanti clara certaque erunt, festinatio improvida est et caeca. Liv. 22, 39.

Nihil ordinatum est, quod praecipitatur et properat. Sen. Epist. 40, 2.

Celeriter paenitentia, sed eadem sera atque inutilis sequitur, cum praecipitata raptim consilia neque revocari neque in integrum restitui possunt. Liv. 31, 32.

Cum furor in cursu est, currenti cede furori:
Difficiles aditus impetus omnis habet.
Ovid. Rem. Am. 119.

Temeritas est florentis aetatis, prudentia senescentis. Cic. Cat. mai. 6, 20.

Temeritas sub titulo fortitudinis latet. Sen. Ep. 45, 7.

Unum est temeritatis solacium perpetua felicitas. Curt. 9, 9.

Non semper temeritas est felix. Liv. 28, 42.

Plerisque in rebus gerendis tarditas et procrastinatio odiosa est. Cic. Phil. 6, 3, 7.

Incitantur homines ad ea, quae differuntur. Plin. Epist. 9, 27.

Aliquod crastinus dies ad cogitandum dabit. Cic. ad Attic. 15, 8, 2.

Differ: habent parvae commoda magna morae. Ovid. Fast. 3, 394.

Da spatium tenuemque moram: male cuncta ministrat Impetus. Stat. Theb. 10, 704.

12. De consiliis non ex eventu iudicandum.

Hoc plerumque facimus, ut consilia eventis ponderemus et cui bene quid processerit, multum illum providisse, cui secus, nihil sensisse dicamus. Cic. pro Rab. 1, 1.

Est iniquum, sed usu receptum, quod honesta consilia vel turpia, prout aspere aut male cedunt, ita vel probantur vel reprehenduntur. Plin. Epist. 5, 21, 7.

Semper [me] causae eventorum magis movent, quam ipsa eventa. Cic. ad Attic. 9, 5, 2.

Careat successibus opto,
Quisquis ab eventu facta probanda putet.
Ovid. Her. 2, 85.

Non eventus imputari debet cuiusque rei, sed consilium. Sen. Contr. 5 p. 342.

Numquam mens exitu aestimanda est.
Quint. Declam. 281 p. 135 ed. Bip.

13. De stultitia et errore.

Crede mihi, miseros prudentia prima relinquit.
Ovid. ex Pont. 4, 12, 47.

Stultorum plena sunt omnia. Cic. ad fam. 9, 22, 4.

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.
Horat. Sat. 1, 2, 24.

Est proprium stultitiae aliorum vitia cernere, oblivisci suorum. Cic. Tusc. 3, 30, 73.

Cavere quod possis, stultum est admittere.
Terent. Eun. 4, 6, 24.

Eventus stultorum magister est. Liv. 22, 39.

Temeritas est damnare quod nescias. Sen. Ep. 91, 21.

Pauci prudentia honesta ab deterioribus, utilia ab noxiis discernunt, plures aliorum eventis docentur.
Tacit. Ann. 4, 33.

Inter cetera mortalitatis incommoda est caligo mentium, nec tantum necessitas errandi, sed errorum amor.
Sen. de ira 2, 10, 1.

Suus cuique est attributus error. CATULL. 22, 20.

Cuiusvis hominis est errare, nullius nisi insipientis in errore perseverare. CIC. Phil. 12, 2, 5.

Nihil est hominum inepta persuasione falsius nec ficta severitate ineptius. PETRON. Sat. 132.

Nemo sibi tantummodo errat, sed alieni erroris et causa et auctor est. SEN. de vit. beat. 1, 4.

Nemo errat uni sibi, sed dementiam spargit in proximos accipitque invicem. SEN. Epist. 94, 54.

III.

DE HONESTO S. DE VIRTUTE. DE TURPI S. DE VITIO. VIRTUS PER SE COLENDA.

1. Quid sit virtus.

Virtus est animi habitus naturae modo et rationi consentaneus. CIC. de invent. 2, 53, 159.

Virtus brevissime recta ratio dici potest. CIC. Tusc. 4, 15, 34.

2. Virtute nihil praestantius. Virtus usquequaque magni aestimata.

Virtutem qui habet, nullius is rei ad bene vivendum indiget. CIC. de invent. 1, 50, 93.

Virtus est per se ipsa laudabilis, et sine ea nihil laudari poterit. CIC. de orat. 2, 84, 343.

Nihil est, mihi crede, virtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius. CIC. ad fam. 9, 14, 4.

Nihil est amabilius virtute, nihil quod magis alliciat ad diligendum. CIC. Lael. 8, 28.

Nulla possessio, nulla vis auri et argenti pluris quam virtus aestimanda est. Cic. Parad. 6, 2.

Magno ubique pretio virtus aestimatur.
Val. Max. 5, 4, 1,

Habet apud malos quoque multum auctoritatis virtus. Quintil. Declam. 253.

3. Virtutis pretium in ipsa est. Eam vel latere volentem sequitur laus et gloria.

Oderunt peccare boni virtutis amore.
Horat. Epist. 1, 16, 52.

Recte factorum verus fructus est fecisse, nec ullum virtutum pretium dignum illis extra ipsas est.
Sen. de clem. 1, 1.

Recte facti fecisse merces est. Sen. Epist. 81, 19.

Virtutum omnium pretium in ipsis est. *Id.* ib.

Rerum honestarum pretium in ipsis est.
Sen. de benef. 4, 1, 3.

Saepe honorata virtus est, ubi eam fefellit exitus.
Sen. Exc. Contr. 4 p. 425 ed. Bip.

Ipsa quidem virtus sibimet pulcherrima merces;
Dulce tamen venit ad manes, cum gloria vitae
Durat apud superos nec edunt oblivia laudem.
Sil. Ital. Pun. 13, 663.

Eripit se aufertque ex oculis perfecta virtus.
Sen. de consol. ad Marc. 23, 3.

Nulla virtus latet et latuisse non ipsius est damnum.
Id. Epist. 79, 17.

Honos praemium virtutis. Cic. de clar. or. 81, 281.

Sacra est magnarum virtutum memoria.

Sen. de ben. 4, 30, 1.

Hoc debemus virtutibus, ut non praesentes solum illas, sed etiam ablatas e conspectu colamus. *Id.* ib. 3.

4. Sola virtus perpetua possessio.

Sola virtus praestat gaudium perpetuum, securum.

Sen. Epist. 27, 3.

Virtus nec eripi nec surripi potest umquam neque incendio neque naufragio amittitur. Cic. Parad. 6, 51.

Divitiarum et formae gloria fluxa atque fragilis est, virtus clara aeternaque habetur. Sall. Cat. 1, 4.

Omnia alia incerta sunt, caduca, mobilia; virtus est una altissimis defixa radicibus, quae numquam ulla vi labefactari potest, numquam demoveri loco.

Cic. Phil. 4, 5, 13.

Semel traditi nobis boni perpetua possessio est: non dediscitur virtus. Sen. Epist. 50, 8.

Nil non mortale tenemus,

Pectoris exceptis ingeniique bonis. Ovid. Trist. 3, 7, 41.

In mores fortuna ius non habet. Sen. Epist. 36, 6.

Semper contra fortunam luctata virtus etiam citra effectum propositi operis enituit. Sen. de ben. 7, 15, 2.

5. Virtus omnibus patet, sed arte et exercitio paranda est.

Potest ex deformi humilique corpusculo formosus animus ac magnus exire. Sen. Epist. 66, 3.

Potest ex casa magnus vir exire: virtus omni loco nascitur. *Id.* ibid.

Nulli praeclusa virtus est: omnibus patet, omnes admittit, omnes invitat, ingenuos libertinos servos, reges exsules; non eligit domum nec censum, nudo homine contenta est. Sen. de ben. 3, 18, 2.

Bonam mentem stultum est optare, cum possis a te impetrare. . . . . Sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum observator et custos. Sen. Epist. 41, 1.

Virtutem nemo umquam acceptam deo rettulit. Cic. de nat. deor. 3, 36, 86.

Non dat natura virtutem, ars est bonum fieri. Sen. Epist. 90, 44.

Non fortuna homines aestimabo, sed moribus. Sibi quisque dat mores, condicionem casus adsignat. Macrob. Saturn. 1, 1.

Sibi quisque dat mores, ministeria casus adsignat. Sen. Epist. 47, 14.

6. Via ad virtutem aliis facilis, aliis ardua visa, nulli saltem invia.

Non, ut quibusdam visum est, arduum in virtutes et asperum iter est: plano adeuntur. . . . . Facilis est ad beatam vitam via; inite modo bonis auspiciis ipsisque dis bene iuvantibus. Sen. de ira 2, 13, 2.

Nulla nisi ardua virtus. Ovid. A. A. 2, 537.

Arcem ad virtutis longis ambagibus itur. Claud. 4 cons. Hon. 227.

Casta mihi domus et celso stant colle penates:
Ardua saxoso perducit semita clivo.

Asper principio (nec enim mihi fallere mos est)
Prosequitur labor: adnitendum intrare volenti;
Nec bona censendum, quae Fors infida dedisse
Atque eadem rapuisse valet. Mox celsus ab alto
Infra te cernes hominum genus.

Sunt verba deae Virtutis ap. Sil. Ital. 15, 102.

Invia virtuti nulla est via. Ovid. Metam. 14, 113.

Nihil tam alte natura constituit, quo virtus non possit eniti. Curt. 7, 11.

Virtuti retro ire non licet. Sen. Epist. 66, 7.

7. Virtus qualis esse debeat. Quomodo virtus colenda sit.

Virtutis laus omnis in actione consistit.
Cic. de offic. 1, 6, 19.

Virtus actuosa est. Cic. de nat. deor. 1, 40, 110.

Pars magna bonitatis est velle fieri bonum. Sen. Ep. 34, 3.

Oderunt peccare boni virtutis amore.
Tu nihil admittes in te formidine poenae;
Sit spes fallendi, miscebis sacra profanis.
Horat. Epist. 1, 16, 52.

Pietas fundamentum est omnium virtutum.
Cic. pro Planc. 12, 29.

Nulla vitae pars neque publicis neque privatis neque forensibus neque domesticis in rebus, neque si tecum agas quid, neque si cum altero contrahas, vacare officio potest, in eoque et colendo sita vitae est honestas omnis et in neglegendo turpitudo.
Cic. de off. 1, 2, 4.

Semper nostrum officium nos facere aequom est. PLAUT. Stich. 1, 1, 7

Quaeramus quid optimum factu sit, non quid usitatissimum. SEN. de vit. beat. 2, 2.

Bonitas non est pessimis esse meliorem. SEN. Ep. 79, 11.

Nulla est laus ibi esse integrum, ubi nemo est, qui aut possit aut conetur corrumpere. CIC. in Verr. 1, 16, 46.

In omni vita sua quemque a recta conscientia transversum unguem non oportet discedere. CIC. ad Att. 13, 20, 4.

Laus non est in facto, sed in eo, quemadmodum fiat. SEN. Epist. 95, 40.

Timor non est diuturnus magister officii. CIC. Phil. 2, 36, 90.

Infidelis recti magister est metus. PLIN. Paneg. 45.

Malo coactus qui suum officium facit,
Dum id rescitum iri credit, tantisper cavet;
Si sperat fore clam, rursus ad ingenium redit. TERENT. Andr. 1, 1, 44.

Multum interest, utrum peccare aliquis nolit an nesciat. SEN. Epist. 90, 46.

8. Quid sit vitium.

Omni virtuti vitium contrario nomine opponitur. CIC. de fin. 3, 12, 40.

Virtutis contraria est vitiositas. CIC. Tusc. 4, 15, 34.

9. Vitia sunt cuiusvis aetatis, omnium hominum.

Erras, si existimas nostri saeculi esse vitium luxuriam et neglegentiam boni moris et alia, quae obiecit

suis quisque temporibus. Hominum sunt ista, non temporum: nulla aetas vacavit a culpa. Sen. Ep. 97, 1.

Iniquus est, qui commune vitium singulis obicit. Sen. de ira 3, 26, 3.

Vitia erunt, donec homines. Tac. Hist. 4, 74.

Unicuique dedit vitium natura creato. Propert. Eleg. 2, 22, 17.

Vitiis nemo sine nascitur; optimus ille est, Qui minimis urgetur. Horat. Sat. 1, 3, 68.

Nemo extitit, cuius virtutes nullo vitiorum confinio laederentur. Plin. Paneg. 4.

Mandemus memoriae, quod vir mitissimus et ob hoc maximus, Thrasea, crebro dicere solebat: qui vitia odit, homines odit. Plin. Epist. 8, 22, 3.

Si quotiens homines peccant, sua fulmina mittat Iupiter, exiguo tempore inermis erit. Ovid. Trist. 2, 33.

Multitudo peccantium pudorem tollit.

Pudorem rei tollit multitudo peccantium et desinit esse probri loco commune maledictum. Sen. de ben. 3, 16, 1.

10. Homines a maiorum virtute magis magisque degenerant.

Aetas parentum peior avis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem. Hor. Od. 3, 6, 45.

11. Proclives sumus ad vitia.

Ad deteriora faciles sumus, quia nec dux potest

nec comes deesse; et res etiam ipsa sine duce, sine comite procedit. Sen. Epist. 97, 10.

Virtus difficilis inventu est, rectorem ducemque desiderat; etiam sine magistro vitia discuntur.

Sen. Nat. Qu. 3, 30 extr.

Vitiis mature occurrendum.

Qui blandiendo dulce nutrivit malum,
Sero recusat ferre quod subiit iugum. Sen. Hipp. 134.

12. Vitiis patrocinamur.

Nullum vitium est sine patrocinio. Sen. Epist. 116, 2.

Vitia nobis sub virtutum nomine subrepunt.

Sen. Epist. 45, 7.

Vitiis nostris nomen virtutis imponimus. Sen. Ep. 92, 25.

13. De morum emendatione.

Si velis vitiis exui, longe a vitiorum exemplis recedendum est. Sen. Epist. 104, 21.

Initium est salutis notitia peccati. Nam qui peccare se nescit, corrigi non vult. Deprehendas te oportet, antequam emendes. Sen. Epist. 28, 9.

Hoc ipsum argumentum est in melius translati animi, quod vitia sua, quae adhuc ignorabat, videt.

Sen. Epist. 6, 1.

Optimus est portus paenitenti mutatio consilii.

Cic. Phil. 12, 2, 7.

Sera numquam est ad bonos mores via:
Quem paenitet peccasse, poenae est innocens.

Sen. Agam. 2, 243.

14. De recti et mali conscientia.

Praeter culpam ac peccatum homini accidere nihil potest, quod sit horribile ac pertimescendum.

Cic. ad fam. 5, 21, 5.

Bonus animus in mala re dimidium est mali.

Plaut. Pseud. 1, 5, 37.

Vacare culpa magnum est solacium. Cic. ad fam. 7, 3, 4.

Conscientia bene actae vitae multorumque bene factorum recordatio iucundissima est. Cic. Cat. mai. 3, 9.

Iniucunda est paenitendae rei recordatio.

Sen. de brev. vit. 10, 2.

Conscientia rectae voluntatis maxima consolatio est rerum incommodarum. Cic. ad fam. 6, 4, 2.

Conscia mens recti famae mendacia ridet.

Ovid. Fast. 4, 311.

Si honesta sunt quae facis, omnes sciant; si turpia, quid refert neminem scire, cum tu scias?

Sen. Epist. 43, 5.

Nihil opinionis causa, omnia conscientiae faciam: populo spectante fieri credam, quicquid me conscio faciam. Sen. de vit. beat. 20, 4.

Turpe quid ausurus te sine teste time.

Thales apud Auson. p. 149 ed. Bip.

Nullum theatrum virtuti conscientia maius est.

Cic. Tusc. 2, 26, 64.

Gravis malae conscientiae lux est. Sen. Epist. 122, 14.

Nulla maior poena nequitiae est quam quod sibi ac suis displicet. Sen. Epist. 42, 2.

Nihil est miserius quam animus hominis conscius. Plaut. Most. 3, 1, 13.

Sua quemque fraus, suum facinus, suum scelus, sua audacia de sanitate ac mente deturbat; hae sunt impiorum furiae, hae flammae, hae faces. Cic. in Pis. 20, 46.

Scelerati conscientia obstrepente condormire non possunt, agitant eos furiae. Curt. 6, 9.

Tutum aliqua res in mala conscientia praestat, nulla securum. Sen. Epist. 105, 8.

IV.

DE INGENIO. DE INGENII OPERIBUS.

1. Quaevis aetas ingeniorum ferax.

Nullum saeculum magnis ingeniis clusum est. Sen. Epist. 102, 22.

2. Ingeniosi homines fautricem naturam habent, sed in multis rebus ab aliorum more discedunt.

Nemo vir magnus sine aliquo adflatu divino umquam fuit. Cic. de nat. deor. 2, 66, 167.

Nullum magnum ingenium sine mixtura dementiae fuit. Sen. de tranq. 17, 10.

In maximis animis splendidissimisque ingeniis plerumque existunt honoris, imperii, potentiae, gloriae cupiditates. Cic. de offic. 1, 8, 26.

Amor ingenii neminem umquam divitem fecit. Petron. 83.

3. De praematuri ingenii hominibus.

Illud ingeniorum velut praecox genus non temere umquam pervenit ad frugem. Quint. Inst. 1, 3, 3.

Non potest in eo esse sucus diuturnus, quod nimis celeriter est maturitatem adsecutum. Cic. de orat. 2, 21, 88.

Nullus est idem diuturnus et praecox fructus.
Curt. 8, 5.

Inmature magnum ingenium non vitale est.
Sen. Contr. 1, 1.

Ingenia quo inlustriora sunt, breviora sunt.
Sen. de consol. 23, 4.

4. Ingeniis inimica luxuria.

Nihil est tam mortiferum ingeniis quam luxuria.
Sen. Contr. p. 61 ed. Bip.

Copia ignaviam adfert. Plin. N. H. 11, 14, 14, 35.

5. Ingenium quantum valeat.

Accepimus animum, cui nihil non eodem quo intendit momento pervium est, sideribus velociorem, quorum post multa saecula futuros cursus antecedit.
Sen. de ben. 2, 29, 4.

Non minus nostra sunt, quae animo complectimur, quam quae oculis intuemur. Cic. ad fam. 5, 17, 4.

Liberae sunt cogitationes nostrae et quae volunt sic intuentur, ut ea cernamus, quae non videmus.
Cic. pro Mil. 29, 79.

Nil non mortale tenemus
Pectoris exceptis ingeniique bonis.
Ovid. Trist. 3, 7, 41.

6. De ingeniorum libertate.

Cogitationis poenam nemo patitur.
Ulpian. Dig. 48, 19, 18.

Rara temporum felicitas, ubi sentire quae velis et quae sentias dicere licet. Tacit. Hist. 1, 1.

Omne studiorum genus paullo liberius et erectius periculosum servitus facit. Plin. Epist. 3, 5.

7. Ingeniorum dignatio.

Ingeniorum crescit dignatio, nec ipsis tantum honor habetur, sed quicquid illorum memoriae adhaesit, excipitur. Sen. Epist. 21, 6.

Eorum socordiam inridere libet, qui praesenti potentia credunt extingui posse etiam sequentis aevi memoriam. Nam contra punitis ingeniis gliscit auctoritas, neque aliud reges, qui ea saevitia usi sunt, nisi dedecus sibi atque illis gloriam peperere. Tacit. Ann. 4, 35.

Tantum gratia doctarum artium valet, ut scriptoribus ne saevi mores quidem ad memoriam officiant.

Aurel. Vict. de Caes. 20.

Conquisiti lectitatique libri sunt, donec cum periculo parabantur; mox licentia habendi oblivionem attulit.

Tacit. Ann. 14, 50.

8. De inventis.

Alius alio plura invenire potest, nemo omnia.

Auson. p. 191 ed. Bip.

Nihil est simul et inventum et perfectum.

Cic. Brut. 18, 71.

Nulla res consummata est, dum incipit.

Sen. Nat. Quaest. 6, 5, 3.

Necessitatis inventa sunt antiquiora quam voluptatis.

Cic. Orat. 55, 185.

Nullius rei difficilis inventio est, nisi cuius hic unus inventae fructus est invenisse. Sen. de ben. 7, 1, 6.

Inventuris inventa non obstant. Sen. Epist. 79, 6.

Multum adhuc restat operis multumque restabit, nec ulli nato post mille saecula praecludetur occasio aliquid adhuc adiciendi. Sen. Epist. 64, 7.

Etiam cum multum acti erit, omnis tamen aetas quod agat inveniet. Sen. Nat. Quaest. 6, 5.

Multum egerunt qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt; suspiciendi tamen sunt et ritu deorum colendi. Sen. Epist. 64, 9.

Nova omnia erant primo temptantibus; postea eadem illa limata sunt, et si quid inventum est, illis nihilominus referri debet acceptum. Sen. Nat. Quaest. 6, 5, 2.

Maiores non inventa nobis reliquerunt, sed quaerenda. Sen. Epist. 45, 4.

Non omnia apud priscos meliora, sed nostra quoque aetas multa laudis et artium imitanda posteris tulit. Tacit. Ann 3, 50.

Veniet tempus, quo ista, quae nunc latent, in lucem dies extrahat et longioris aevi diligentia. Sen. Nat. Quaest. 7, 25, 4.

Contenti simus inventis, aliquid veritati et posteri conferant. Sen. Nat. Quaest. 7, 25, 7.

Veniet tempus, quo posteri nostri tam aperta nos nescisse mirentur. Sen. Nat. Quaest. 7, 25, 5.

Omnia, quae nunc vetustissima creduntur, nova fuere. Tacit. Ann. 11, 24.

Numquam invenietur, si contenti fuerimus inventis. Sen. Epist. 33, 10.

Plurimum ad inveniendum contulit qui speravit posse reperiri. Sen. Nat. Quaest. 6, 5, 2.

Ne quis desperet saecula proficere semper.
Plin. N. H. 2, 15, 13, 62.

Multa fieri non posse, priusquam sint facta, iudicantur.
Plin. N. H. 7, 1, 1.

9. De rerum inventoribus.

Suae quisque inventioni favet et quasi fortissimum complectitur, cum ab alio dictum est quod ipse praevidit.
Plin. Epist. 1, 20, 13.

Aliter multa, quam priores, traditurus fatemur ea quoque illorum esse muneris, qui primi vias quaerendi demonstraverint. Plin. N. H. 2, 15, 13, 62.

Non satis magnam homines tribuunt inventoribus gratiam.
Cic. de fin. 4, 5, 13.

V.

DE EDUCATIONE. DE INSTITUTIONE. DE SCHOLIS. DE PRAECEPTORIBUS ET DISCIPULIS. DE AEMULATIONE. DE MEMORIA. DE PRAECEPTIS. DE EXERCITATIONE. DE LECTIONE. DE LIBRIS.

1. De educatione.

Educatio maximam diligentiam plurimumque profuturam desiderat. Sen. de ira 2, 18, 2.

Mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes et mentis et corporis frangit. Quintil. Inst. 1, 2, 6, 26.

Caedi discentes, quamquam receptum sit, minime

velim, primum quia deforme atque servile est, deinde quod, si cui tam mens est inliberalis, ut obiurgatione non corrigatur, is etiam ad plagas, ut pessima quaeque mancipia, durabitur. Quintil. Inst. 1, 3, 14.

2. De institutione.

Cognitionis desiderium laudabile.

Ne pudeas quae nescieris te velle doceri:
Scire aliquid laus est, pudor est nil discere velle.
Cat. Dist. 4, 29.

De animi intentione.

Omnia vincat intentio, quam si tota mente in opus ipsum direxeris, nihil eorum, quae oculis vel auribus incursant, ad animum perveniet. Quint. Inst. 10, 3, 28.

In iuventute discendum.

Natura tenacissimi sumus eorum, quae rudibus annis percepimus. Quint. Inst. 1, 1, 5.

In teneris consuescere multum est. Verg. Georg. II, 272.

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu. Hor. Epist. 1, 2, 69.

Facile est teneros adhuc animos componere.
Sen. de ira 2, 18, 2.

Turpis et ridicula res est elementarius senex; iuveni parandum, seni utendum est. Sen. Epist. 36, 4.

Quae didiceris teneto.

Haud aequum facit, qui quod didicit, id dediscit.
Plaut. Amph. 2, 2.

Institutionis utilitas.

Quidam ex hominibus egregiam sortiti indolem in ea, quae tradi solent, perveniunt sine longo magisterio et honesta complexi sunt, cum primum audiere.

SEN. Epist. 95, 36.

Inperfectus vigor est omnibus, quae sine arte ipsius tantum naturae bono exsurgunt. SEN. de ira 2. 15, 2.

3. De scholis publicis.

Magnae scholae fugiendae.

Ut fugiendae sint magnae scholae, non tamen hoc eo valet, ut fugiendae sint omnino scholae.

QUINT. Inst. Orat. 1, 2, 16, 29.

Optimi in scholis publici praeceptores.

Optimus quisque praeceptor frequentia gaudet ac maiore se theatro dignum putat. QUINT. Inst. Orat. 1, 2, 9, 27.

Unus praeceptor pluribus sufficit.

Pleraque hanc condicionem habent, ut eadem voce ad omnes simul perferantur. . . . . Non vox illa praeceptoris, ut cena, minus pluribus sufficit, sed, ut sol, universis idem lucis calorisque largitur. . . . . Tot illa discent, quot audient. QUINT. Inst. Orat. 1, 2, 14, 28.

Amicitiae in scholis publicis iunguntur sanctissimae.

Mitto amicitias, quae ad senectutem usque firmissimae durant religiosa quadam necessitate imbutae. Neque enim est sanctius sacris iisdem quam studiis initiari. QUINT. Inst. Orat. 1, 2, 20, 30.

Sensus communis in iisdem discitur.

Sensum ipsum, qui communis dicitur, ubi discet [puer], cum se a congressu segregarit?

QUINT. Inst. Orat. 1, 2, 20, 30.

Habet puer in scholis publicis quos imitari possit.

Utile est habere quos imitari primum, mox vincere velit: ita paulatim et superiorum spes erit.

QUINT. Inst. Orat. 1, 2, 29, 32.

Aliorum laude excitatur aemulatio.

Audiet [puer] multa quottidie probari, multa corrigi; proderit alicuius obiurgata desidia, proderit laudata industria; excitabitur laude aemulatio; turpe ducet cedere pari, pulchrum superasse maiores. Accendunt haec omnia animos. QUINT. Inst. Orat. 1, 2, 22, 30.

Alit aemulatio ingenia et nunc invidia, nunc admiratione incitationem accendit. VELL. PAT. 1, 17, 6.

Marcet sine adversario virtus. SEN. de prov. 2, 4.

De perversa scholarum ratione.

Ideo ego adulescentulos existimo in scholis stultissimos fieri, quia nihil ex iis, quae in usu habemus, aut audiunt aut vident, PETRON. Sat. 1.

Non vitae, sed scholae discimus. SEN. Epist. 106, 12.

Gratus animus scholae servandus.

Quis est nostrum liberaliter educatus, cui non educatores, cui non magistri sui atque doctores, cui non locus ipse ille mutus, ubi alitus aut doctus est, cum grata recordatione in mente versetur? CIC. pro Planc. 33, 81.

4. De praeceptoribus et discipulis.

Quid utrisque conveniat.

Ut praeceptorum officium est docere, sic discipulorum praebere se dociles; alioquin neutrum sine altero sufficit. Quintil. Inst. Orat. 2, 9, 3.

Idem et docenti et discenti debet esse propositum, ut ille prodesse velit, hic proficere. Sen. Epist. 108, 3.

De praeceptoribus.

Impellimur natura ut prodesse velimus quam plurimis imprimisque docendo rationibusque prudentiae tradendis. Itaque non facile est invenire, qui quod sciat ipse non tradat alteri: ita non solum ad discendum propensi sumus, verum etiam ad docendum.

Cic. de fin. 3, 20, 65.

Homines dum docent discunt. Sen. Epist. 7, 8.

Excitat auditor studium. Ovid. ex Pont. 4, 2, 35.

Magnis praeceptoribus opus est.

Sen. Exc. Contr. 4, 5 p. 422 ed. Bip.

Sapientissimi artis suae professores sunt, a quibus et propria studia verecunde et aliena callide aestimantur. Valer. Max. 8, 12, 1.

Quod munus reipublicae adferre maius meliusve possumus, quam si docemus atque erudimus iuventutem? Cic. de div. 2, 2, 4.

Di praeceptorem sancti voluere parentis
Esse loco. Iuven. Sat. 7, 209.

Praeceptores suos adulescens veneratur ac suspicit.
Sen. Epist. 73, 4.

Discipuli, si modo sunt recte instituti, praeceptorem et amant et reverentur. Quint. Inst. 2, 2, 8.

Discipulos moneo, ut praeceptores suos non minus quam ipsa studia ament et parentes esse non quidem corporum, sed mentium credant. Multum haec pietas confert studio. *Id.* ibid.

Praeceptorum apud nos magna caritas, magna reverentia est. . . . . Emis a bonarum artium praeceptore rem inaestimabilem, studia liberalia et animi cultum. Itaque ei non rei pretium, sed operae solvitur, quod a rebus suis evocatus nobis vacat; mercedem non meriti, sed occupationis suae fert. Sen. de ben. 6, 15, 2.

Nosse velint omnes, mercedem solvere nemo.
Iuven. Sat. 7, 157.

De discipulis et auditoribus.

Maxima debetur puero reverentia. Iuven. Sat 14, 47.

Facile est auditorem concitare ad cupiditatem recti: omnibus enim natura fundamenta dedit semenque virtutum. Sen. Epist. 108, 8.

Praeceptores plus laboris ab iis discipulis exigunt, in quibus certior spes est. Sen. de prov. 4, 11.

Sunt qui cum pugillaribus veniant, non ut res excipiant, sed ut verba. Sen. Epist. 108, 6.

Praeceptorum frequens mutatio nocet.
In discipulum qui variis utitur praeceptoribus cadunt illa verba:

Non convalescit planta, quae saepe transfertur.
Sen. Epist. 2, 3.

5. De memoria.

Memoria est thesaurus omnium rerum et custos.

Cic. de orat. 1, 5, 18.

Memoria ceterae animi partes velut spiritu continentur. . . Omnis disciplina memoria constat, frustraque docemur, si quicquid audimus praeterfluat.

Quint. Inst. 11, 2, 1.

Memoriae duplex virtus: facile percipere et fideliter continere. Quint. Inst. 1, 3, 2, 33.

Sunt duae memoriae, una naturalis, altera artificiosa. naturalis est ea, quae nostris animis insita est et simul cum cogitatione nata; artificiosa est ea, quam confirmat inductio quaedam et ratio praeceptionis. . . . . Naturalis memoria praeceptione confirmanda est, ut sit egregia, et haec, quae doctrina datur, indiget ingeni; nec hoc magis aut minus in hac re, quam in ceteris artibus fit, ut ingenio doctrina, praeceptione natura nitescat. Corn. Rhetor. 3, 16, 29.

Quidam memoriam naturae modo munus esse existimaverunt; sed ipsa excolendo, sicut alia omnia, augetur. . . . Nihil aeque vel augetur cura vel neglegentia intercidit. Quint. Inst. 11, 2, 46.

Memoria facit prompti ingenii famam, ut ea quae dicimus non domo attulisse, sed ibi protinus sumpsisse videamur. Quint. Inst. 11, 2, 46.

Saepe quod quaerenti non comparuit, aliud agenti praesto est. Sen. Contr. p. 60 ed. Bip.

6. De praeceptis. De partitione. De exemplis.

De praeceptis.

Egregie hoc dicere Demetrius Cynicus solet, plus prodesse, si pauca praecepta sapientiae teneas, sed illa in promptu tibi et in usu sint, quam si multa quidem didiceris, sed illa non habeas ad manum.

SEN. de ben. 7, 1, 3.

Ingenii vis praeceptis alitur et crescit. SEN. Epist. 94, 30.

Sincerum est nisi vas, quodcumque infundis acescit.

HOR. Epist. 1, 2, 54.

De partitione.

Facilius per partes in cognitionem totius adducimur.

SEN. Epist. 89, 1.

Quicquid in maius crevit, facilius adgnoscitur, si discessit in partes. SEN. Epist. 89, 3.

De exemplis.

Nihil recte sine exemplo docetur aut discitur.

COLUM. R. R. 11, 1.

Longum iter est per praecepta, breve et efficax per exempla. SEN. Epist. 6, 5.

Melius homines exemplis docentur, quae imprimis hoc in se boni habent, quod adprobant quae praecipiunt fieri posse. PLIN. Paneg. 45.

7. De exercitatione.

In omni disciplina infirma est artis praeceptio sine summa adsiduitate exercitationis. CORN. Rhetor. 3, 24, 40.

Difficile est tenere quae acceperis, nisi exerceas.

PLIN. Epist. 8, 14.

Intercidit eorum, quae didiceris, scientia, nisi continuetur. Sen. de ben. 3, 5, 1.

Dediscit animus sero quod didicit diu.
Sen. Troad. 3, 631.

Nemo facere metuit quod se bene didicisse confidit.
Veget. R. M. 1, 1.

Adfert vetustas omnibus in rebus longinqua observatione incredibilem scientiam. Cic. de div. 1, 49, 109.

8. De lectione. De libris.

Alit lectio ingenium et studio fatigatum reficit.
Sen. Epist. 84, 1.

Adulescentium indolem non tam iuvant quae bene dicta sunt, quam inficiunt, quae pessime.
Gell. Noct. Att. 12, 2.

Mihi omne tempus est ad meos libros vacuum, numquam sunt illi occupati. Cic. de rep. 1, 9, 14.

[Plinius maior] dicere solebat nullum librum esse tam malum, ut non aliqua parte prodesse possit.
Plin. Epist. 3, 3.

Non refert quam multos libros, sed quam bonos habeas. Sen. Epist. 45, 1.

Optimus quisque legendus est [scriptor] et diligenter, ... perlectus liber utique ex integro resumendus. Quintil. Inst. Orat. 10, 1, 20.

Paretur librorum quantum satis est, nihil in adparatum. Sen. de tranq. an. 9, 5.

Quo innumerabiles libros et bibliothecas, quarum dominus vix tota vita indices perlegit? Sen. de tranq. an. 9, 4.

Lectio, quae placuit, decies repetita placebit. Hor. A. P. 365.

Repetamus et tractemus [librorum lectionem], et ut cibos mansos ac prope liquefactos demittimus, quo facilius digerantur, ita lectio non cruda, sed multa iteratione mellita et velut confecta memoriae tradatur. Quint. Inst. Orat. 10, 1, 19.

Lectio certa prodest, varia delectat. Sen. Epist. 45, 1.

Aiunt multum legendum esse, non multa. Plin. Ep. 7, 9.

Distringit librorum multitudo. Sen. Ep. 2, 3.

Lectio auctorum multorum et omnis generis voluminum habet aliquid vagum et instabile. Sen. Ep. 2, 1.

Onerat discentem turba, non instruit, multoque satius est paucis te auctoribus tradere quam errare per multos. Sen. de tranq. an. 9, 4.

Non statim legenti persuasum sit omnia, quae optimi auctores dixerint, utique esse perfecta. Quint. Inst. Orat. 10, 1, 24.

Apes debemus imitari et quaecumque ex diversa lectione congessimus separare, deinde adhibita ingenii nostri cura et facultate in unum saporem varia illa libamenta confundere. Sen. Epist. 84, 5.

VI.

DE ARTIBUS. DE LITTERARUM STUDIIS. DE DOCTRINAE DISCIPLINIS.

1. De artibus.

Quid sit ars.

Ars est rei cuiusdam scientia, usu vel traditione vel ratione percepta, tendens ad usum aliquem vitae necessarium. Diomed. 2 p. 414 ed. Putsch.

Ars est praeceptionum exercitatarum constructio ad unum exitum utilem vitae pertinentium. Cic. ap. eund. l. l.

De arte universa.

Notatio naturae et animadversio peperit artem. Cic. Orat. 55, 183.

Omnis ars naturae imitatio est. Sen. Epist. 65, 3.

Ars, cum a natura profecta sit, nisi naturam moveat ac delectet, nihil sane egisse videatur. Cic. de orat. 3, 51, 197.

Ars casum simulet. Ovid. A. A. 3, 155.

Ars ex multis animi praeceptionibus constat. Cic. Acad. Quaest. 2, 7, 22.

Omnium magnarum artium sicut arborum altitudo nos delectat, radices stirpesque non item, sed esse illa sine his non potest. Cic. Orat. 43, 147.

Artis maxime proprium est creare et gignere. Cic. de nat. deor. 2, 22, 57

Non est ars sui iuris, cui precarium fundamentum est. Sen. Epist. 88, 27.

Non est ars, quae ad effectum casu venit. Sen. Ep. 29, 3.

Usus et experientia dominantur in artibus, neque est ulla disciplina, in qua non peccando discatur. Nam ubi quid perperam administratum cessit inprospere, vitatur quod fefellerat. Colum. R. R. 1, 1.

Quam quisque norit artem, in hac se exerceat. Cic. Tusc. 1, 18, 42 ex Graeco.

Paupertas omnes artes perdocet. Plaut. Stich. 1, 3, 24.

Reges innumeri honore artium colebantur et in osten-

tatione has praeferebant opum, inmortalitatem sibi per illas prorogari arbitrantes. Plin. Nat. Hist. 14, 1, 1, 4.

De opificiis.

Ad inventa animo, percepta sensibus adhibitis opificum manibus omnia consecuti sumus, ut tecti, ut vestiti, ut salvi esse possemus, urbes muros, domicilia, delubra haberemus. Cic. de nat. deor. 2, 60, 151.

De artibus quae proprie dicuntur.

De arte pingendi.

Oculi pictura tenentur, aures cantibus. Cic. Acad. 2, 7, 20.

Multa vident pictores in umbris et in eminentia, quae nos non videmus. *Id.* ib.

De arte fingendi.

Effigies hominum non solebant [Romae] exprimi nisi aliqua. inlustri causa perpetuitatem merentium.

Plin. N. H. 34, 4, 9, 16.

De musica.

Natura ipsa videtur [musicen] ad tolerandos facilius labores velut muneri nobis dedisse; ..... nec solum in iis operibus, in quibus plurium conatus praeeunte aliqua voce conspirat, sed etiam singulorum fatigatio quamlibet se rudi modulatione solatur.

Quint. Inst. 1, 10, 16.

De arte histrionica.

Mundus universus exercet histrioniam.

Petron. Arb. Fragm. 10.

Totus fere mundus videtur mimum implere. Petr. ib.

[Massiliensium] civitas severitatis custos acerrima est, nullum aditum in scenam mimis dando, quorum argumenta maiore ex parte stuprorum continent actus, ne talis spectandi consuetudo etiam imitandi licentiam sumat. Valer. Max. 2, 6, 7.

3. De litterarum studiis.

Litterarum studium ad humanitatem confert.

Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit,
Si modo culturae patientem commodet aurem.
Hor. Epist. 1, 1, 39.

Ut ager quamvis fertilis sine cultura fructuosus esse non potest, sic sine doctrina animus.
Cic. Tusc. 2, 5, 13.

Doctrina — vim promovet insitam
Rectique cultus pectora roborant. Hor. Od. 4, 4, 33.

Artibus ingenuis . . . . . .
Pectora mollescunt asperitasque fugit.
Ovid. ex Pont. 1, 6, 8.

Ingenuas didicisse fideliter artes
Emollit mores nec sinit esse feros. *Id.* ib. 2, 9. 47.

Litterarum studia homines iungunt.

Scilicet ingeniis aliqua est concordia iunctis
Et servat studii foedera quisque sui.
Ovid. ex Pont. 2, 5, 59.

Cognatio studiorum et artium propemodum non minus est coniuncta quam generis et nominis.
Cic. in Verr. 4, 37, 81.

Doctrinae vis.

Homo doctus in se semper divitias habet.

PHAEDR. Fab. 4, 21, 1.

Haec studia adulescentiam agunt, senectutem oblectant; secundas res ornant, adversis perfugium ac solacium praebent; delectant domi, non impediunt foris; pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.

CIC. pro Arch. poet. 7, 16.

Doctrinae studia et optime felicitatem extollunt et facillime minuunt calamitatem, eademque et ornamenta hominum maxima sunt et solacia. SEN. Cons. ad Polyb. 36.

Et gaudium et solacium in litteris, nihilque tam laetum, quod his laetius, nihil tam triste, quod non per has sit minus triste. PLIN. Epist. 8, 19, 1.

Doctrinae honor habendus.

Studiorum salutarium etiam citra effectum laudanda tractatio est. SEN. de vit. beat. 20, 1.

Honos alit artes omnesque incenduntur ad studia gloria. CIC. Tusc. 1, 2, 4.

Sublatis studiorum pretiis etiam studia pereunt.

TACIT. Ann. 11, 7.

Artibus ingenuis quaesita est gloria multis.

OVID. ex Pont. 2, 7, 47.

Ad indolem doctrina accedere debet.

Ego multos homines excellenti animo ac virtute fuisse et sine doctrina . . . per se ipsos . . . graves extitisse fateor. Etiam illud adiungo, saepius ad lau-

dem atque virtutem naturam sine doctrina, quam sine natura valuisse doctrinam. Atque idem ego contendo, cum ad naturam eximiam atque inlustrem accesserit ratio quaedam conformatioque doctrinae, tum illud nescio quid praeclarum ac singulare solere existere.

Cic. pro Arch. 7, 15.

Omnes artes inter se coniunctae.

Omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum et quasi cognatione quadam inter se continentur. Cic. pro Arch. 1, 2.

Omnis doctrina harum ingenuarum et humanarum artium uno quodam societatis vinculo continetur.

Cic. de orat. 3, 6, 21.

Mirus quidam quasi consensus doctrinarum concentusque reperitur. *Id.* ib.

Studiorum quae ratio instituenda sit.

Quemadmodum omnium rerum, sic litterarum quoque intemperantia laboramus: non vitae, sed scholae discimus. Sen. Epist. 106, 12.

Plus prodest, si pauca praecepta sapientiae teneas, sed illa in promptu tibi et in usu sint, quam si multa quidem didiceris, sed illa non habeas ad manum.

Sen. de benef. 7, 1, 3.

Doctrina diligentia paratur.

Natura semina scientiae nobis dedit, scientiam non dedit. Sen. Epist. 120, 4.

Non datur ad Musas currere lata via.

Propert. Eleg. 3, 1, 14.

Studiorum varietas.

Ut terrae variis mutatisque seminibus, ita ingenia nostra nunc hac nunc illa meditatione recoluntur.

PLIN. Epist. 9, 7.

Non omnia simul tractanda.

Non omnia possumus omnes. VERGIL. Eclog. 8, 63.

Nusquam est qui ubique est. SEN. Epist. 2, 2.

Ut satius unum aliquid insigniter, quam facere plurima mediocriter, ita plurima mediocriter, si non possis unum aliquid insigniter. PLIN. Epist. 9, 29, 1.

Non nova semper proferri possunt.

Nullum est iam dictum, quod non dictum sit prius.

TERENT. prol. Eun. 41.

Studiorum fructus iucundi.

Cato dixit litterarum radices amaras esse, fructus iucundiores. CATO apud DIOMED. p. 289 ed. Putsch., fragm. orat. ed. Meier. p. 89.

Fontes ipsi adeundi.

Tardi ingenii est rivulos consectari, fontes rerum non videre. CIC. de orat. 2, 27, 117.

Gratius ex ipso fonte bibuntur aquae.

OVID. ex Pont. 3, 5, 18.

Doctorum hominum existimatio.

Artibus ingenuis quaesita est gloria multis.

OVID. ex Pont. 2, 7, 47.

Quam venerationem praeceptoribus meis debeo, ean-

De philosophia. De philosophia.

Nihil aliud est philosophia, si interpretari velis, quam studium sapientiae. Cic. de oft. 2, 2, 5.

Philosophia, omnium mater artium, quid est aliud, nisi, ut Plato, donum, ut ego, inventum deorum? Haec nos primum ad illorum cultum, deinde ad ius hominum, quod situm est in generis humani societate, tum ad modestiam magnitudinemque animi erudivit, eademque ab animo tamquam ab oculis caliginem dispulit. Cic. Tusc. 1, 26, 64.

Philosophia praeparat animos ad satus accipiendos eaque mandat iis et, ut ita dicam, serit, quae adulta fructus uberrimos ferant. *Id.* ib. 2, 5, 13.

Numquam satis laudari digne poterit philosophia, cui qui pareat omne tempus aetatis sine molestia possit degere. Cic. Cat. mai. 1, 2.

Philosophiae servias oportet, ut tibi contingat vera libertas. Sen. Epist. 8, 7.

In philosophia hoc est boni, quod stemma non inspicit. Sen. Epist. 44, 1.

Nec reicit quemquam philosophia nec eligit. omnibus lucet. Sen. Epist. 44, 2.

De historia.

Historia est testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae, nuntia vetustatis. Cic. de orat. 2, 9, 36.

Nescire quid antequam natus sis acciderit, id est semper esse puerum. Cic. Orat. 34, 120.

Praecipuum munus annalium reor, ne virtutes sileantur utque pravis dictis factisque ex posteritate et infamia metus sit. Tacit. Ann. 3, 65.

Historia non adsentationi, sed fidei veritatique componitur. *Id.* ib. 7, 17, 3.

Nec debet historia egredi veritatem et honeste factis veritas sufficit. Plin. Epist. 7, 33, 10.

Ut nomina mentita sint, ut aliquid fabulae fingant, ... factum esse aliquid necesse est, ut hoc credibile videretur. Quint. Declam. 314 p. 217 ed. Bip.

Quis nescit primam esse historiae legem, ne quid falsi dicere audeat? deinde ne quid veri non audeat? ne qua suspitio gratiae sit in scribendo, ne qua simultatis? Cic. de orat. 2, 15. 62.

Nihil est in historia pura et inlustri brevitate dulcius. Cic. de clar. orat. 75, 262.

Eius, qui vitas aliorum scribere orditur, officium est digna cognitione perscribere. Capitol. Macrin. 1 p. 746.

De eloquentia. De oratoribus.

Ut hominis decus est ingenium, sic ingenii lumen est eloquentia. Cic. de clar. orat. 15, 59.

Magna et varia res est eloquentia, nec adhuc ulli sic indulsit, ut tota contingeret; satis felix est, qui in aliquam eius partem est receptus.
Sen. Exc. Contr. p. 398 ed. Bip.

Facilis ab eloquentia in omnes artes decursus est.
Sen. Controv. p. 133 ed. Bip.

Usus dicendi in omni pacata et libera civitate dominatur. Cic. de orat. 2, 8, 33.

Civitatum status scimus ab oratoribus esse conversos.
QUINT. Declam. 268 p. 89 ed. Bip.

Fac tantum incipias, sponte disertus eris.
OVID. A. A. 1, 610.

Pectus est quod disertos facit et vis mentis, ideoque imperitis quoque, si modo sunt aliquo adfectu concitati, verba non desunt. QUINT. Inst. Orat. 10, 6, 2.

Verba provisam rem non invita sequentur.
HORAT. A. P. 311.

Cum rem animus occupavit, verba ambiunt.
SEN. Contr. 3 p. 198 ed. Bip.

Oratio cultus animi est. SEN. Epist. 115, 2.

Cuiuscumque orationem videris sollicitam et politam, scito animum quoque non minus pusillis esse occupapatum. *Id.* ib.

Non potest grande aliquid et super ceteros loqui nisi mota mens. SEN. de tranq. an. 17, 10.

Scaurus vere dixit non minus magnam virtutem esse scire desinere, quam scire dicere. SEN. Cntr. 28 p. 309 ed. Bip.

Auditorum benevolentia crescit dicentium facultas.
Verba imperatoris Domitiani apud PRISCIAN. 7, 34.

Magna debet esse eloquentia, quae invitis placeat.
SEN. Controv. p. 320 ed. Bip.

Eloquentiam, quae admirationem non habet, nullam iudico. CIC. apud QUINT. Inst. 8, 3, 10.

De medicina. De medicis.

Non post rationem medicina est inventa, sed post inventam medicinam ratio est quaesita.
CELS. de med. praef. 1 p. 9.

Aequaliter ad omnes medicina sola pertinet et nulla tam necessaria est omni generi hominum quam medicina. Quint. Declam. 268 p. 86 ed. Bip

Firma valent per se nullumque Machaona quaerunt,
Ad medicam dubius confugit aeger opem.
Ovid. ex Pont. 3, 4, 7.

Medicina quondam paucarum fuit scientia herbarum, quibus sisteretur fluens sanguis, volnera coirent; paulatim deinde in hanc pervenit tam multiplicem varietatem. Sen. Epist. 95, 15.

Usus efficacissimus rerum omnium magister, peculiariter utique medicinae. Plin. N. H. 1, 2, 6, 11.

Mirum subit nullam artium inconstantiorem fuisse [medicina] aut etiamnunc saepius mutari, cum sit fructuosior nulla. Plin. N. H. 29 init.

Fato vivimus, languemus, convalescimus, morimur; medicina, quid praestas, nisi ut iuxta te nemo desperet? Quint. Declam. 8, 9.

Medicus nihil aliud est quam animi consolatio.
Petron. Sat. 42.

Non medicina sanat, sed quicquid videtur sanasse medicina est. Quint. Declam. 8, 9.

Nihil magis aegris prodest, quam ab eo curari, a quo volunt. Sen. Exc. Contr. 4, 5 p. 422 ed. Bip.

Medico diligenti, priusquam conetur aegro adhibere medicinam, non solum morbus eius, cui mederi volet, sed etiam consuetudo valentis et natura corporis cognoscenda est. Cic. de orat. 2, 44, 186.

Non est in medico semper relevetur ut aeger,
Interdum docta plus valet arte malum.
Ovid. ex Pont. 1, 3, 17.

Aegri quia non omnes convalescunt, idcirco ars nulla medicina est. Cic. de nat. deor. 2, 4, 12.

Infelix monumenti inscriptio turba se medicorum perisse. Plin. N. H. 29, 1, 5, 11.

De iuris prudentia. De iuris consultis.

Iuris civilis cognitio atque interpretatio semper in summo honore fuit. Cic. de off. 2, 19, 65.

Iuris consultus est qui legum et consuetudinis eius, qua privati utuntur, et ad respondendum et ad agendum et ad cavendum peritus est. Cic. de or. 1, 48, 212.

Est sine dubio domus iurisconsulti totius oraculum civitatis. Cic. de orat. 1, 45, 202.

VII.

DE ANIMORUM INMORTALITATE.

Permanere animos arbitramur consensu nationum omnium. Cic. Tusc. 1, 16, 36.

Mihi naturam animi intuenti multo difficilior occurrit cogitatio multoque obscurior, qualis animus in corpore sit tamquam alienae domui, quam qualis cum exierit et in liberum caelum quasi domum suam venerit.
Cic. Tusc. 1, 22, 51.

Sentit animus se moveri; quod cum sentit, illud una sentit, se vi sua, non aliena moveri, nec accidere posse, ut ipse a se umquam deseratur, ex quo efficitur aeternitas. *Id.* ib. 1, 23, 55.

Singularis est quaedam natura atque vis animi, seiuncta ab his usitatis notisque naturis. Ita quicquid est illud quod sentit, quod sapit, quod vivit, quod viget, caeleste et divinum ob eamque rem aeternum sit necesse est. Cic. Tusc. 1, 27, 66.

O praeclarum diem, cum in illud divinum animorum concilium coetumque proficiscar cumque ex hac turba et colluvione discedam. Cic. Cat. m. 23, 85.

Supremus ille dies non [nostri] extinctionem, sed commutationem adfert loci. *Id.* Tusc. 1, 49, 117.

Dies iste, quem tamquam extremum reformidas, aeterni natalis est. Sen. Epist. 102, 26.

Animus divina origine haustus, cui nec senectus ulla nec mors, onerosi corporis vinculis exsolutus ad sedes suas et cognata sidera recurret. Sen. Suasor. 6 p. 33 ed. Bip.

Tunc animus noster habebit quod gratuletur sibi, cum emissus his tenebris, in quibus volutatur, non tenui visu clara prospexerit, sed totum diem admiserit et caelo redditus suo fuerit, cum receperit locum, quem occupavit sorte nascendi. Sursum illum vocant initia sua. Sen. Epist. 79, 12.

Tunc in tenebris vixisse te dices, cum totam lucem et totus aspexeris, quam nunc per angustissimas oculorum vias obscure intueris, et tamen admiraris illam iam procul. Quid tibi videbitur divina lux, cum illam suo loco videris? Sen. Epist. 102, 28.

Si modo vera sapientium fama est recipitque nos locus aliquis, quem putamus perisse praemissus est. *Id.* ib. 63 extr.

Veniet aliquod tempus, quod nos iterum iungat ac misceat. SEN. Epist. 78, 28.

CC. DE FAMILIA SIVE DE HOMINUM FOEDERE DOMESTICO. DE DOMESTICO USU ET CONSUETUDINE. DE RE FAMILIARI. DE ALIIS QUIBUSDAM QUAE CUM HIS COHAERENT AUT EO PERTINENT.

1. De familia.

Proprio iure familiam dicimus plures personas, quae sunt sub unius potestate, aut natura aut iure subiectae, ut puta patrem familias, matrem familias, filium familias, filiam familias, quique deinceps vicem eorum sequuntur. . . . . Communi iure familiam dicimus omnium agnatorum . . . .; omnes, qui sub unius potestate fuerunt, recte eiusdem familiae appellabuntur. ULPIAN. Pandect. 50, 16. 195.

2. De familiarum lapsu.

Dites olim familiae nobilium aut claritudine insignes studio magnificentiae prolapsae sunt. TACIT. Ann. 3, 55.

3. De vita domestica.

Domum suam coercere plerisque haud minus arduum est quam provinciam regere. TAC. Agric. 19, 2.

Quid prodest foris esse strenuum, si domi male vivitur? VALER. MAX. 2, 9, 1.

4. De matrimonio. De amore coniugum. De pudicitia.

De matrimonio.

Gradus plures sunt societatis hominum. . . . Prima societas in ipso coniugio est. CIC. de off. 1, 17, 54.

Matrimoniis scitote contineri civitatem, his populos, his liberos et successionem patrimoniorum et gradum hereditatum, his securitatem domesticam. Quint. Decl. 249.

Nusquam libertas tam necessaria quam in matrimonio est. *Id.* ib. 257 p. 47 ed. Bip.

Viri culpa, si uxor modum excedit. Tac. Ann. 3, 34.

Pauper et dives inimicum matrimonium.
Calp. Flacc. Declam. 29 p. 435 ed. Bip.

[Virgo], dummodo morata recte veniat, dotata est satis.
Plaut. Aul. 2, 2, 62.

Dos est magna parentium
Virtus. Horat. Od. 3, 24, 21.

De amore maximeque coniugali.

Credula res amor. Ovid. Met. 7, 831.

Res est solliciti plena timoris amor. Ovid. Her. 1, 11, 12.

Moribus et forma conciliandus amor. Ovid. Her. 6, 94.

Verus amor nullum novit habere modum.
Prop. Eleg. 2, 15, 30.

Amantium irae amoris redintegratio est.
Ter. Andr. 3, 3, 23.

Omnia vincit amor. Vergil. Eclog. 10, 69.

Amor magister est optimus. Plin. Epist. 4, 19, 4.

Nihil difficile amanti puto. Cic. Orat. 10, 33.

Vixerunt mira concordia per mutuam caritatem et invicem se anteponendo. Tacit. Agric. 6.

De pudicitia.

Lis est cum forma magna pudicitiae.
Ovid. Her. 16, 288.

Magnus pudicitiae fructus est pudicam haberi.
SEN. Controv. 15 p. 195 ed. Bip.

Nulla reparabilis arte
Laesa pudicitia est. OVID. Her. 5. 101.

5. De parentibus. De pietate in parentes.

Pietas fundamentum est omnium virtutum.
CIC. pro Planc. 12, 29.

Natura est pietatis magistra, quae nullo vocis ministerio, nullo usu litterarum indigens propriis ac tacitis viribus caritatem parentum pectoribus liberorum infundit. VAL. MAX. 5, 4 ext. 5.

Caritas, quae est inter natos et parentes, dirimi nisi detestabili scelere non potest. CIC. Lael. 8, 28.

Facile intellego non modo reticere homines parentum iniurias, sed etiam animo aequo ferre oportere.
CIC. pro Cluent. 6, 17.

O maxima rerum
Et merito pietas homini tutissima virtus.
CORNEL. SEV. in Aetn. 629.

Faciendum id nobis quod parentes imperant.
PLAUT. Stich. 1, 53.

Ames parentem, si aequus est; si aliter, feras.
PUBL. SYR. 18 p. 262 ed. Ribb.

Nulli non magno constitit etiam bona noverca.
SEN. de consol. ad Helv. 2, 4.

De patre familias.

Bonus pater familias primus cubitu surgat, postremus cubitum eat. CATO R. R. 5.

De mulieribus.

Multa mulierum sunt vitia, sed hoc e multis maximum est, Cum sibi nimis placent minusque operam dant, ut placeant viris. PLAUT. Poen. 5, 4, 37.

Intolerabilius nihil est quam femina dives. IUVEN. 6, 460.

De matre familias.

Uxor dignitatis nomen est, non voluptatis. AELIUS. GALL. de Verb. sign.

Omnis in feminas venit maritorum praedicatione reverentia. QUINT. Decl. 18, 5.

Vera ornamenta matronarum pudicitia, non vestes. IUSTIN. Hist. 20, 4, 12.

6. De liberis. De liberorum inter se amore. De liberorum educatione. De indulgentia in liberos.

De liberorum amore.

Perspicuum est a natura ipsa [nos] ut eos, quos genuerimus, amemus impelli. CIC. de fin. 3, 19, 62.

Liberos cuique ac propinquos suos natura carissimos esse voluit. TACIT. Agr. 31.

De liberorum inter se caritate.

Quis amicior quam frater fratri? SALL. Iug. 10, 5.

Sanguinis coniunctio et benevolentia devincit homines et caritate. CIC. de off. 1, 17, 54.

Liberi a parentibus aliquando desciscunt.

Naturae lege crebro tamquam ex industria mali e bonis, agrestes e doctioribus gignuntur. AUREL. VICT. Caesar. 3.

Neminem prope magnorum virorum optimum et utilem filium reliquisse satis claret. Spart. Sever. p. 634.

De liberorum educatione.

Gratum est, quod patriae civem populoque dedisti,
Si facis, ut patriae sit idoneus, utilis agris,
Utilis et bellorum et pacis rebus agendis.
Plurimum enim intererit, quibus artibus et quibus hunc tu
Moribus instituas. Iuven. Sat. 14, 70.

Educatio maximam diligentiam plurimumque profuturam desiderat. Facile est enim teneros adhuc animos componere; difficulter reciduntur vitia, quae nobiscum creverunt. Sen. de ira 2, 18, 2.

Parentes obiurgatione digni sunt, qui nolunt liberos suos severa lege proficere. Petron. Sat. 4.

Pudore et liberalitate liberos
Retinere satius esse credo quam metu.
Ter. Adelph. 1, 1, 32.

De indulgentia in liberos.

Utinam liberorum nostrorum mores non ipsi perderemus. . . . . Mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes et mentis et corporis frangit
Quintil. Insit. 1, 2, 6.

Matres omnes filiis
In peccato adiutrices, auxilio in paterna iniuria
Solent esse. Terent. Heaut. 5, 2, 38.

Non resistet offensis, cui nihil umquam negatum est, cui lacrimas sollicita semper mater abstersit.
Sen. de ira 2, 21, 6.

7. De rei familiaris cura.

Non minor est virtus, quam quaerere, parta tueri:
Casus inest illic, hic erit artis opus. Ovid. A. A. 2, 13.

Res familiaris quaeri debet iis rebus, a quibus abest turpitudo, conservari diligentia et parsimonia, iisdem etiam rebus augeri. Cic. de off. 2, 24, 87.

Virtus quaerendae finem rei scire modumque.
Lucil. in Anthol. Lat. Tom. 1 p. 8 ed. Meier.

Male parta male dilabuntur. Naev. ap. Cic. Phil. 2, 27, 66.

Male partum male disparet. Plaut. Poen. 4, 1, 22.

8. De domo. De agris. De agrorum cultura.

De domo. De supellectile.

Quid est sanctius, quid omni religione munitius, quam domus uniuscuiusque civium? . . . . . hoc perfugium est ita sanctum omnibus, ut inde abripi neminem fas sit. Cic. pro dom. 41, 109.

Nullus est locus domestica sede iucundior. Cic. ad fam. 4, 8, 2.

Non domo dominus, sed domino domus honestanda est. Cic. de off. 1, 39, 139.

Si ipse aedifices, ne extra modum sumptu et magnificentia prodeas. Cic. de off. 1, 39, 140.

Qui domum intraverit, nos potius miretur quam supellectilem nostram. Sen. Epist. 5, 6.

Mediocritas ad omnem usum cultumque vitae transferenda est. Cic. de off. 1, 39, 140.

De agris. De agrorum cultura.

Hominum generi universo cultura agrorum est salutaris. Cic. Cat. mai. 16, 56.

Omnium rerum, ex quibus aliquid adquiritur, nihil est agricultura melius, nihil dulcius, nihil homine dignius. Cic. de off. 1, 42, 151.

Terra non recusat imperium nec umquam sine usura reddit quod accepit, sed alias minore, plerumque maiore cum fenore. Cic. Cat. mai. 15, 51.

Non segetibus solum et pratis et vineis et arbustis res rusticae laetae sunt, sed etiam hortis et pomariis, tum pecudum pastu, apium examinibus, florum omnium varietate. *Id.* ib. 15, 54.

Ager quamvis fertilis sine cultura fructuosus esse non potest. Cic. Tusc. 2, 5, 13.

Ut sementem feceris, ita metes. Cic. de orat. 2, 65, 261.

Et post malam segetem serendum est.
Sen. Epist. 81, 1.

Multa cura sata perducuntur in segetem.
Id. de ben. 2, 11, 4.

Plurima cultores agrorum inveniunt, per quae fertilitas augetur. Sen. Epist. 90, 21.

Totae res rusticae eiusmodi sunt, ut eas non ratio neque labor, sed res incertissimae, venti tempestatesque moderentur. Cic. in Verr. 2, 3, 98.

Malo unius industriam quam decem aliorum neglegentem et tardam operam. Colum. R. R. 11, 2.

Frons domini plus potest quam occipitium.
Cat. R. R. 4 coll. Plin. N. H. 18, 5, 6, 31.

Quocumque domini praesentis oculi frequenter accessere, in ea parte maiorem in modum fructus exuberat.
Colum. R. R. 3, 11.

Vestigia domini res agro saluberrima. Colum. R. R. 4, 18.

Male agitur cum domino, quem vilicus docet.
Id. ib. 11, 1.

9. De pecunia.

Pecunia omnia effici possunt. Cic. in Verr. 2, 3, 63.

Est pecunia effectrix multarum voluptatum.
Cic. de fin. 2, 17. 55.

Quisquis habet nummos, secura naviget aura
Fortunamque suo temperet arbitrio. Petr. Sat. 137.

Aurum omnes victa iam pietate colunt.
Propert. Eleg. 3, 12, 48.

Nihil tam munitum est, quod non expugnari pecunia possit. Cic. in Verr. 1, 2, 4

Ubique tanti quisque, quantum habuit, fuit.
Graecus poeta apud Sen. Epist. 115, 14.

Quantum quisque sua nummorum possidet arca,
Tantum habet et fidei. Iuven. Sat. 3, 143.

Aurea nunc vere sunt saecula: plurimus auro
Venit honos, auro conciliatur amor.
Ovid. A. A. 2, 277.

In pretio pretium nunc est: dat census honores,
Census amicitias; pauper ubique iacet.
Ovid. Fast. 1, 217.

Curia pauperibus clausa est, dat census honores.
Id. Amor. 3, 8, 55.

Ex quo pecunia in honore esse coepit, verus rerum honor cecidit. Sen. Epist. 115, 10.

Saepe solent auro multa subesse mala.
Tibull. Eleg. 1, 9, 18.

Pecunia est, quae auget discordiam, urbes et terrarum orbem in bellum agitat, humanum genus cognatum natura in fraudes et scelera mutua instigat.

Sen. Controv. 14 p. 185 ed. Bip.

10. De divitiis.

Nihil est tam angusti animi tamque parvi, quam amare divitias. Cic. de offic. 1, 20, 68.

Misera est magni custodia census. Iuven. Sat. 14, 302.

Neminem pecunia divitem fecit. Sen. Epist. 119, 9.

Omnia habet qui nihil concupiscit. Valer. Max. 4, 4, 1.

Contentum suis rebus esse maximae sunt certissimaeque divitiae. Cic. Parad. 6, 3.

Locupletem facit non multa possidere, sed modica desiderare. Valer. Max. 4, 3, 6.

Brevissima ad divitias per contemptum divitiarum via est. Sen. Epist. 62, 3.

Divitiae sunt ad legem naturae composita paupertas. *Id.* ib. 27, 9.

Quis sit divitiarum modus, quaeris: primus habere quod necesse est, proximus quod sat est.

Sen. Epist. 2, 6.

Is maxime divitiis fruitur, qui minime divitiis indiget. Sen. Epist. 14, 17.

11. De rei familiaris iactura.

Nimiae opes magnae iacturae locum faciunt.

Curt. 4, 11.

Gravior in paucitate iactura est. *Id.* 4, 14.

Tum denique homines nostra intellegimus bona,
Cum quae in potestate habuimus, ea amisimus.
PLAUT. Capt. 1, 2, 39.

Est haec natura mortalium, ut nihil magis placeat, quam quod amissum est. SEN. de cons. ad. Marc. 16, 8.

Hoc habent gravissimum damna, quod vix ulla sine paenitentia sunt. QUINTIL. Declam. 320.

Quotumquodque damni genus est, cui non applicari reprehensio possit? *Id.* ib.

12. De paupertate. De egestate.

Non puto pauperem, cui quantulumcunque superest sat est. SEN. Epist. 1, 5.

Pauper non est, cui rerum suppetit usus.
HOR. Epist. 1, 12, 4.

Non qui parum habet, sed qui plus cupit pauper est. SEN. Epist. 2, 6.

Semper inops quicumque cupit. CLAUD. in Rufin. 1, 200.

Pauperior votis quisque est, quo plura requirit,
Nec quod habet numerat, tantum quod non habet optat.
MANIL. Astron. 4, 7.

Causa paupertatis plerisque probitas est. CURT. 4, 1.

Bonae mentis soror est paupertas. PETRON. Sat. 84.

Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi. IUVEN. Sat. 3, 164.

Ingenium quondam fuerat pretiosius auro;
At nunc barbaries grandis habere nihil.
OVID. Amor. 3, 8, 3.

Hominem experiri multa paupertas iubet.
PUBL. SYR. 191 p. 273 ed Ribb.

Cui cum paupertate bene convenit, dives est.
Sen. Epist. 2, 6.

Honesta res est laeta paupertas. *Id.* ib. 2, 5.

Cantabit vacuus coram latrone viator. Iuven. Sat. 10, 20.

Nihil parcere egestatis est initium.
Rutil. Lup. de fig. p. 124 ed. Ruhnk.

Facilius est egestatem ferre in hac natis.
Quintil. Declam. 269.

13. De aere alieno.

Comes aeris alieni atque litis est miseria.
Chilo apud Plin. N. H. 7, 32, 32, 119.

Vel optima nomina non appellando fiunt mala.
Alfien. apud Colum. R. R. 1, 17.

14. De parsimonia.

Non intellegunt homines, quam magnum vectigal sit parsimonia. Cic. Parad. 6, 3.

Non esse cupidum pecunia est; non esse emacem vectigal est; contentum vero suis rebus esse maximae sunt certissimaeque divitiae. *Id.* ib.

Divitiae grandes homini sunt vivere parce
Aequo animo: neque enim est umquam penuria parvi.
Lucret. de rer. nat. 5, 1117.

Nulli est parcendum rei magis quam ei, cuius frequens usus est. Sen. de cons. ad Pol. 4, 3.

Emas non quod opus est, sed quod necesse est; quod non opus est, asse carum est.
M. Cato apud Senec. Epist. 94, 27.

Sera parsimonia in fundo est. Senec. Epist. 1, 5.

15. De avaritia.

Qui multum habet, plus cupit. Sen. Epist. 119, 6.

Tam deest avaro quod habet, quam quod non habet.
Publ. Syr. 486 p. 286 ed. Ribb.

Avarus animus nullo satiatur lucro.
Id. 37 p. 263 ed. Ribb.

Semper avarus eget. Hor. Epist. 1, 2, 56.

Crescentem sequitur cura pecuniam
Maiorumque fames. *Id.* Od. 3, 16, 17.

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.
Iuven. Sat. 14, 138.

Creverunt et opes et opum furiosa cupido,
Et cum possideant plurima, plura petunt.
Sic quibus intumuit suffusa venter ab unda,
Quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquae.
Ovid. Fast. 1, 211.

Avaritia senilis quid sibi velit non intellego. Potest enim quicquam esse absurdius, quam quo vitae minus restet, eo plus viatici quaerere? Cic. Cat. m. 18, 66.

Pecuniae fugienda cupiditas: nihil enim est tam angusti animi tamque parvi, quam amare divitias.
Cic. de offic. 1, 20, 68.

Nullum est officium tam sanctum et sollemne, quod non avaritia comminuere atque violare soleat.
Id. pro Quint. 6, 26.

Avaritiam si tollere vultis, mater eius est tollenda luxuries. *Id.* de orat. 2, 40, 171.

16. De profusione. De luxuria.

Blandum malum luxuria, quam accusare aliquanto facilius est quam vitare. VAL. MAX. 9, 1 in.

Turpe est diffluere luxuria. CIC. de off. 1, 30, 106.

Copia ignaviam adfert. PLIN. N. H. 11, 14, 14, 35.

Facit fastidium copia. LIV. 3, 1.

DD. DE HOMINUM INTER SE CONSOCIATIONE ET COMMUNITATE.

I.

DE SOLITUDINE. DE SOCIETATE. DE USU ET CONSUETUDINE. DE SIMULATIONE ET DE FIDE. DE AMICITIA.

1. De solitudine.

Si quis nos deus ex hac hominum frequentia tolleret et in solitudine uspiam conlocaret, atque ibi suppeditans omnium rerum, quas natura desiderat, abundantiam et copiam hominis omnino aspiciendi potestatem eriperet, quis tam esset ferreus, qui eam vitam ferre posset, cuique non auferret fructum voluptatum omnium solitudo? CIC. Lael. 23, 87.

2. De societate.

Ad congregationem nati sumus.

Nati sumus ad congregationem hominum et ad societatem communitatemque generis humani.

CIC. de fin. bon. 4, 2, 4.

Nulla me res delectabit, licet eximia sit et salutaris, quam mihi uni sciturus sum. SEN. Epist. 6, 4.

Omne hoc, quod vides, quo divina atque humana conclusa sunt, unum est, membra sumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, cum ex iisdem et in eadem gigneret. Haec nobis amorem indidit mutuum et sociabiles fecit. SEN. Epist. 95, 52.

Homo est sociale animal et in commune genitus, mundum ut unam omnium domum spectat. *Id.* de ben. 7, 1, 7.

Natura hominem conciliat homini et ad orationis et ad vitae societatem . . . . impellitque, ut hominum coetus et celebrationes et esse et a se obiri velit. CIC. de offic. 1, 4, 12.

Homo in adiutorium mutuum genitus est. SEN. de ira 1, 5, 2.

Quo alio tuti sumus, quam quod mutuis adiuvamur officiis? *Id.* de ben. 4, 18, 1.

Nulli non ad nocendum satis virium est. *Id.* Ep. 105, 4.

Nihil tam firmum est, cui periculum non sit etiam ab invalido. CURT. 7, 8.

Sunt plures societatis gradus.

Gradus plures sunt societatis hominum. Ut ab illa infinita discedatur, propior est eiusdem gentis, nationis; . . . interius est eiusdem esse civitatis. Multa sunt civibus inter se communia, . . . consuetudines et familiaritates multisque cum multis res rationesque contractae. CIC. de offic. 1, 17, 53.

De socio et convictore. De comitibus.

Numquam singuli sumus. SEN. Quaest. Nat. 4 praef. 2.

Nullius boni sine socio iucunda possessio est.

Id. Epist. 6, 4.

Socium fallere turpissimum est, propterea quod auxilium sibi se putat adiunxisse qui cum altero rem communicavit. Ad cuius igitur fidem confugiet, cum per eius fidem laeditur, cui se commiserit? . . . . Socium cavere qui possumus? quem etiam si metuimus, ius officii laedimus. Recte igitur eum, qui socium fefellisset, in virorum bonorum numero non putarunt haberi oportere. Cic. pro Rosc. Am. 40, 117.

Comes facundus in via pro vehiculo est.

Publ. Syr. 91 p. 267 ed. Ribb.

De circulis et conviviis.

Quosdam videmus, cum non habeant ingenuas ex doctrina oblectationes, circulos consectari.

Cic. de fin. 5, 20, 56.

Sermo in circulis et conviviis est liberior.

Id. ad Att. 2, 18, 2.

[Romani] accubitionem epularem amicorum, quia vitae coniunctionem haberet, convivium nominarunt.

Cic. Cat. mai. 13, 45.

Conviviorum delectatio non voluptatibus corporis magis, quam coetu amicorum et sermonibus metienda. *Id.* ib.

De hospitio.

Turpius eicitur quam non admittitur hospes.

Ovid. Trist. 5, 6, 13.

3. De usu et consuetudine.

De congregatione.

Pares cum paribus vetere proverbio facillime congregantur. Cic. Cat. mai. 3, 7.

Omnium societatum nulla praestantior est, nulla firmior, quam cum viri boni moribus similes sunt familiaritate coniuncti. *Id.* de offic. 1, 16, 53.

Cum his versare, qui te meliorem facturi sunt. Sen. Epist. 7, 8.

Cave, rogo, et diligenter adtende, ne cum homine malo loquaris. Crates ap. Sen. Epist. 10, 1.

Nulla res magis animis honesta induit quam virorum bonorum conversatio. Paulatim enim descendit in pectora et vim praeceptorum obtinet frequenter aspici, audiri frequenter. Occursus ipse sapientium iuvat et est aliquid, quod ex magno viro vel tacente proficias. Sen. Epist. 94, 40.

Hoc tibi in conversatione sapientium eveniet: non deprehendes, quemadmodum aut quando tibi prosit, profuisse deprehendes. *Id.* ib. 41.

Cogita, quantum nobis exempla bona prosint; scies magnorum virorum non minus praesentiam esse utilem quam memoriam. Sen. Epist. 102, 30.

Frequens imitatio transit in mores. Quint. Inst. 1, 11, 3.

Qualem in aliorum usu te praebeas.

Cum in domum alienam veneris, et mutus et surdus esto. Capitol. Anton. Pius. p. 277.

Omnia, quae vindicaris in altero, tibi ipsi vehementer fugienda sunt. Cic. in Verr. 3, 2, 4.

Non faciam cuiquam, quae tempore eodem
Nolim facta mihi. Auson. Ephem. 63.

Sic cum inferiore vivas, quemadmodum tecum superiorem velis vivere. Sen. Epist. 47, 11.

Numquam decet sic adversus alios agere, quomodo nos agi ab hominibus condicionis eiusdem iniquo animo feramus. Quint. Inst. Orat. 11, 1, 66.

Cum humilibus eo moderatius agendum est, quo minoris est adfixisse eos. Sen. de clem. 1, 21, 4.

Tua quod nihil refert, ne cures. Plaut. Stich. 2, 1, 48.

Tua quod nihil refert, percontari desinas.
Terent. Hec. 5, 3, 12.

De commercio. De mercatura.

Proba merx facile emptorem reperit, tametsi in abstruso sita est. Plaut. Poen. 1, 2, 132.

Laudat venales qui volt extrudere merces.
Hor. Epist. 2, 2, 11.

Magis illa iuvant, quae pluris emuntur. Iuven. Sat. 11, 16.

II.

De sermone.

1. De linguae usu et abusu. De cautione in loquendo. De silentio.

Hoc uno praestamus vel maxime feris, quod conloquimur inter nos et quod exprimere dicendo sensa possumus. Cic. de orat. 1, 8, 32.

Quia voluntas tacitis nobis intellegi non potest, verba

reperta sunt, non quae impedirent, sed quae indicarent voluntatem. Cic. pro Caec. 18, 53.

Haec sit propositi nostri summa: quod sentimus loquamur, quod loquimur sentiamus; concordet sermo cum vita. Sen. Epist. 75, 4.

Hesiodus, poetarum prudentissimus, linguam non volgandam, sed recondendam esse dicit perinde ut thesaurum, eiusque esse in promendo gratiam plurimam, si modesta et parca et modulata sit. Gell. N. Att. 1, 15.

Inter iniurias naturae numeratur sermo homini datus. Sen. de ira 3, 34, 1.

Nihil est quin male narrando possit depravari. Terent. Phorm. 4, 4, 15.

Multa sunt quae sola prolata calumniae possint videri obnoxia. Cuiusvis oratio insimulari potest, si ea, quae ex prioribus nexa sunt, principio sui defraudentur; si quaedam ex ordine scriptorum ad libidinem supprimantur; si quae simulationis causa dicta sunt, adseverantis pronuntiatione . . legantur.

Apul. Apol. Socr. 62 extr. p. 326 Elm. p. 567 Oud.

Nescit vox missa reverti. Horat. A. P. 390.

Navita de ventis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles volnera, pastor oves.
Propert. Eleg. 2, 1, 43.

Silentium videtur confessio. Sen. Contr. 31 p. 353 ed. Bip.

2. De adfabilitate. De iocis et facetiis.

Difficile dictu est, quantopere conciliet animos hominum comitas adfabilitasque sermonis.
Cic. de off. 2, 14, 48.

Iocis temperatis delectamur, inmodicis irascimur.
SEN. de const. 16, 4.

Difficile est tristi fingere mente iocum.
TIBULL. Eleg. 3, 7, 2.

Oderunt hilarem tristes tristemque iocosi.
HOR. Epist. 1, 18, 89.

Coram uno aliquid dictum ridemus, coram pluribus indignamur et eorum aliis libertatem non relinquimus, quae ipsi in nos dicere adsuevimus. SEN. de const. 16, 4.

Asperae facetiae, ubi multum ex vero traxere, acrem sui memoriam relinquunt. TACIT. Ann. 15, 68.

3. De veritate.

Ut ait ille tragicus, veritatis simplex oratio est.
SEN. Epist. 49, 12.

Eurip.: *ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ.*

Veritatis absolutus sermo ac semper est simplex.
AMMIAN. MARCELL. 14, 10.

Veritas odium parit. TERENT. Andr. 1, 1, 41.

De simulatione et occultatione.

Nullae sunt occultiores insidiae quam eae, quae latent in simulatione officii. Nam eum, qui palam est adversarius, facile cavendo vitare possis; hoc vero occultum malum non modo existit, verum etiam opprimit, antequam prospicere atque explorare potueris.
CIC. in Verr. 1, 15, 39.

Turpe est aliud loqui, aliud sentire: quanto turpius aliud scribere, aliud sentire. SEN. Epist. 24, 19.

Ambitio multos mortales falsos fieri subegit, aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere. Sallust. Catil. 10.

Fallere credentem non est operosa puellam
Gloria. Ovid. Her. 2, 63.

De taciturnitate.

Tacere homini facillimum voluit esse natura. Curt. 4, 6.

Digito compesce labellum. Iuven. Sat. 1, 160.

Loqui ignorabit, qui tacere nesciet.
Pittac. Mityl. apud Auson. p. 148 ed. Bip.

Eximia est virtus praestare silentia rebus,
At contra gravis est culpa tacenda loqui.
Ovid. A. A. 2, 603.

De mendacio.

Qui mentitur fallit quantum in se est. . . . .

Vir bonus praestare debet, ne mentiatur.
P. Nigid. apud Gell. N. A. 11, 11.

Quicumque turpi fraude semel innotuit,
Etiam si verum dicit, amittit fidem. Phaedr. Fab. 1, 10, 1.

Qui semel a veritate deflexit, hic non maiore religione ad periurium quam ad mendacium perduci consuevit. Cic. pro Rosc. Com. 16, 46.

Nullum tam inpudens mendacium est, ut teste careat. Plin. Nat. Hist. 8, 22, 34, 82.

Multi mentiuntur, ut decipiant, multi, quia decepti sunt. Sen. de ira 2, 29, 2.

Quae decipiunt, nihil habent solidi. *Id.* Epist. 79, 18.

Falsa tempore ac spatio vanescunt. Tac. Ann. 2, 82, 6.

Tenue est mendacium: perlucet, si diligenter inspexeris. Sen. Epist. 79, 18.

Mendacem oportet esse memorem. Quint. Inst. 4, 2.

Inpudenter certa negantibus difficilior venia est. Liv. 30, 42.

4. De gratulatione.

Sera gratulatio reprehendi non solet, praesertim si nulla neglegentia praetermissa est. Cic. ad fam. 2, 7, 1.

5. De adsensione. De adsentatione. De adulatione.

Adsentatio vitiorum adiutrix procul amoveatur. Cic. Lael. 24, 89.

Benevolentiam civium blanditiis et adsentando colligere turpe est. *Id.* ib. 17, 61.

Vitium notandum levium hominum atque fallacium, ad voluntatem loquentium omnia, nihil ad veritatem. Cic. Lael. 25, 91.

Contemne voluptatem ex plurium adsensione venientem. Sen. Epist. 7, 12.

Adulatorum et prava laudantium sermo diutius haeret quam auditur. *Id.* ib. 123, 9.

Habent hoc in se naturale blanditiae: etiam cum reiciuntur placent, saepe exclusae novissime admittuntur. Sen. N. Q. 4 praef. 4.

Non sumus modica laudatione contenti; quicquid in nos adulatio sine pudore congessit, tamquam debitum prendimus. *Id.* Epist. 59, 11.

Aperte adulantem nemo non videt, nisi qui admodum est excors; callidus ille et occultus ne se insinuet studiose cavendum est. Nec enim facillime adgnoscitur, quippe qui etiam adversando saepe adsentetur et litigare se simulans blandiatur. Cic. Lael. 26, 99.

Semper magnae fortunae comes adest adulatio.
Vell. Paterc. 2, 102, 3.

Adulatio quam similis est amicitiae! non imitatur tantum illam, sed vincit et praeterit. apertis ac propitiis auribus recipitur et in praecordia ima descendit, eo ipso gratiosa, quo laedit. Sen. Epist. 45, 7.

Qualis quisque sit scies, si quemadmodum laudet, quemadmodum laudetur aspexeris. *Id.* ib. 52, 12.

De dissensione.

Quot homines, tot sententiae. Terent. Phorm. 2, 3, 14.

Quot homines, tot sententiae; falli igitur possumus.
Cic. de fin. 1, 5, 15.

6. De credulitate.

Plurimum mali credulitas facit. Sen. de ira 2, 24, 1.

Epicharmium illud teneo, nervos atque artus esse sapientiae non temere credere. Cic. Pet. Consul. 10, 39.

Numquam recte faciet qui cito credit. Petron. Sat. 43.

Nil spernat auris, nec tamen credat statim,
Quandoquidem et illi peccant, quos minime putes,
Et qui non peccant, impugnantur fraudibus.
Phaedr. Fab. 3, 10, 51.

Utrumque vitium est, et omnibus credere et nulli.
Sen. Epist. 3, 4.

Quod nimis miseri volunt, hoc facile credunt.
Sen. Herc. Fur. 2, 313.

Quae volumus, et credimus libenter, et quae sentimus ipsi, reliquos sentire speramus. Caes. bell. civ. 2, 27.

De fide.

Tarda solet magnis rebus inesse fides.
Ovid. Her. 17, 130.

Experimentis optime creditur. Plin. N. H. 17, 2, 4, 24.

7. De admonitione et adloquio.

Monitio acerbitate, obiurgatio contumelia careat.
Cic. Lael. 24, 89.

Illa castigatio efficacior est et altius penetrat, quae adiuvat ratione quod praecipit, quae adicit, quare quidque faciendum sit et quis facientem oboedientemque praeceptis fructus expectet. Sen. Epist. 94, 44.

Inbecillioribus ingeniis necesse est aliquem praeire: hoc vitabis, hoc facies. Sen. ib. 94, 50.

Praecepta dare scienti supervacuum est, nescienti parum. Sen. Epist. 94, 11.

Non aliud praecipere debes, nisi quod prius tibi ipse imperaveris. Valer. Max. 8, 6, 3.

Nullos peius mereri de omnibus mortalibus iudico, quam qui aliter vivunt, quam vivendum esse praecipiunt.
Sen. Epist. 108, 36.

Moniti meliora sequamur. Vergil. Aen. 3, 188.

8. De consiliis dandis.

Homo qui erranti comiter monstrat viam,
Quasi lumen de suo lumine accendat, facit:
Nihilominus ipsi lucet, cum illi accenderit.
Ennius apud Cic. de offic. 1, 16, 51. p. 56 ed. Ribb.

Verum consilium, quod initio auditu grave est, in posterum cognita utilitate fit iucundum.

Rutil. Lup. de figur. p. 135 ed. Ruhnk.

Scelera impetu, bona consilia mora valescunt.

Tacit. Histor. 1, 32.

Malum consilium consultori pessimum.

Gellius N. Att. 4, 5 ex Graeco Hesiod. O. et D. 249:

ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.

In rebus asperis et tenuibus fortissima quaeque consilia tutissima sunt. Liv. Hist. 25, 28.

Facile omnes, cum valemus, recta consilia aegrotis damus.

Terent. Andr. 2, 1, 11.

Nonne id flagitium est, te aliis consilium dare,
Foris sapere, tibi non posse te auxiliarier?

Id. Heaut. 5, 1, 49.

9. De reprehensione et obiurgatione. De altercatione. De maledicto.

Nulli patientius reprehenduntur, quam qui maxime laudari merentur. Plin. Epist. 7, 20. 1.

Quicquid in alio reprehenditur, id unusquisque in suo sinu inveniet. Sen. de ira 3, 26, 4.

Crudelis est in re adversa obiurgatio.

Publ. Syr. 99 p. 267 ed. Ribb.

Nimium altercando veritas amittitur.

Publ. Syr. 326 p. 279 ed. Ribb.

Nihil est tam volucre, quam maledictum: nihil facilius emittitur, nihil citius excipitur, nihil latius dissipatur. Cic. pro Planc. 23, 57.

In maledicto plus iniuriae quam in manu.
QUINT. Inst. 6, 2, 23.

10. De epistularum commercio.

Conversari cum absentibus amicis licet, et quidem quotiens velis, quam diu velis. SEN. Epist. 55, 9.

Si imagines nobis amicorum absentium iucundae sunt, quae memoriam renovant et desiderium absentiae falso atque inani solacio levant, quanto iucundiores sunt litterae, quae vera amici absentis vestigia, veras notas adferunt! *Id.* ib. 40, 1.

Epistularum genera multa sunt, sed unum illud certissimum, cuius causa inventa res ipsa est, ut certiores faceremus absentes, si quid esset, quod scire aut nostra aut ipsorum interesset. CIC. ad fam. 2, 4, 1.

Aliter scribimus, quod eos solos, quibus mittimus, aliter, quod multos lecturos putamus. *Id.* ib. 51, 21. 5.

11. De rumore et fama. De existimatione. De posterorum iudicio. De laude et gloria.

De rumore et fama.

Fama non est iudicii severitas.
AUSON. Sept. Sap. p. 140 ed. Bip.

Levitatis est inanem aucupari rumorem.
CIC. in Pis. 24, 57.

Adversus famam rumoremque hominum firmus stes.
LIV. 22, 39, 18.

Summam rerum nuntiat fama, non ordinem.
PLIN. Epist. 4, 11, 15.

Saepe quod falso creditum est, veri vicem obtinuit.
CURT. 4, 8.

Ubi explorari vera non possunt, falsa per metum augentur. CURT. 4, 10.

Inexplorata veritas magis anxios efficit, quam paratos. SYMMACH. Laud. in Valent. 11, 14 p. 23 ed. Francof.

Quod tegitur, maius creditur esse malum.
MARTIAL. Epigr. 3, 42, 4.

De Fama dea.

Fama malum, quo non aliud velocius ullum,
Mobilitate viget viresque adquirit eundo.
VERGIL. Aen. 4, 174.

De existimatione.

Famae ac fidei damna maiora sunt quam quae aestimari possunt. LIV. Hist. 3, 71.

Non satis est tuum officium fecisse, si non id fama adprobat.
TERENT. Phorm. 4, 5, 12.

Salus hominum non veritate solum, sed etiam fama nititur. CIC. ad Quint. Fratr. 1, 2, 2.

Pendemus toti ex alienis iudiciis et id optimum nobis videtur, quod petitores laudatoresque multos habet, non id, quod laudandum petendumque est. SEN. de otio 1, 3.

Contemptu famae contemnuntur virtutes.
TACIT. Ann. 4, 38, 7.

Socordiam eorum inridere libet, qui praesenti potentia credunt extingui posse etiam sequentis aevi memoriam. TACIT. Ann. 4, 35.

Hominum inmortalis est infamia:
Etiam tum vivit, cum esse credas mortuam.
PLAUT. Pers. 3, 1, 27.

De posterorum iudicio.

Eorum, qui futuri sunt, iudicium est verius obtrectatione et malevolentia liberatum.

Cic. ad Quint. Fratr. 1, 1, 15, 43.

Minuit praesentia famam. Claud. de bell. Gild. 385.

De laude et gloria.

Gloria est frequens de aliquo fama cum laude.

Cic. de inv. 2, 55, 166.

Gloria est consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene iudicantium de excellenti virtute; ea virtuti resonat tamquam imago. Quae quia recte factorum plerumque comes est, non est bonis viris repudianda. Illa autem, quae se eius imitatricem esse volt, temeraria atque inconsiderata et plerumque peccatorum vitiorumque laudatrix fama popularis simulatione honestatis formam eius pulchritudinemque corrumpit.

Cic. Tusc. 3, 2, 4.

Gloria virtutem tamquam umbra sequitur.

Id. ib. 1, 45, 109.

Laudata virtus

Crescit et immensum gloria calcar habet.

Ovid. ex Pont. 4, 2, 35.

Trahimur omnes laudis studio et optimus quisque maxime gloria ducitur. Cic. pro Arch. 11, 26.

Postquam desimus facere laudanda, laudari quoque ineptum putamus. Plin. Epist. 3, 21.

Vera laus uni virtuti debetur. Cic. de orat. 2, 84, 342.

Ardua per praeceps gloria vadit iter. Ovid. Trist. 4, 3, 74.

Principibus placuisse viris non ultima laus est.
HORAT. Epist. 1, 17, 35.

Ea est profecto iucunda laus, quae ab iis proficiscicitur, qui ipsi in laude vixerunt. CIC. ad fam. 15, 6, 1.

Vera gloria radices agit atque etiam propagatur; ficta omnia celeriter tamquam flosculi decidunt, nec simulatum quicquam potest esse diuturnum.
CIC. de offic. 2, 12, 43.

Gloriam qui spreverit, veram habebit. LIV. 22, 39, 19.

Quis neget eximiam gloriam saepius fortunae, quam virtutis esse beneficium? CURT. 8, 10.

Non possunt primi esse omnes omni in tempore.
Summum ad gradum cum claritatis veneris,
Consistes aegre, nictu citius decidas.
LABER. apud MACR. Sat. 2, 7, 9. p. 253 ed. Ribb.

Laus nova nisi oritur, etiam vetus amittitur.
PUBL. SYR. 250 p. 276 ed. Ribb.

Quod magnificum referente alio fuisset, ipso qui gesserit recensente vanescit. PLIN. Epist. 1, 8.

III.

DE AMICITIA. DE AMORE ET ODIO. DE FAVORE ET INVIDIA.

1. De amicitia.

Solem e mundo tollere videntur qui amicitiam e vita tollunt, qua nihil a dis inmortalibus melius habemus, nihil iucundius. CIC. Lael. 13, 147.

Amicitia semper prodest, amor etiam aliquando nocet. SEN. Epist. 35, 1.

Virtus et conciliat amicitias et conservat.
Cic. Lael. 27, 100.

Virtutum amicitia adiutrix a natura data est, non vitiorum comes. *Id.* ib. 22, 83.

Nulla est excusatio peccati, si amici causa peccaveris.
Cic. Lael. 11, 39.

Secundas res splendidiores facit amicitia et adversas partiens communicansque leviores. *Id.* ib. 6, 22.

Ad conectendas amicitias vel tenacissimum vinculum morum similitudo. Plin. Epist. 4, 15.

Idem velle atque idem nolle, ea demum firma amicitia est. Sallust. Cat. 20.

Non est ullum certius amicitiae vinculum, quam consensus et societas consiliorum et voluntatum.
Cic. pro Planc. 2, 5.

Mihi quidem videntur qui utilitatis causa fingunt amicitias, amabilissimum nodum amicitiae tollere.
Cic. Lael. 14, 51.

Amicitiam non spe mercedis adducti, sed quod omnis eius fructus in ipso amore inest, expetendam putamus. *Id.* ib. 9, 31.

Ne quid expectes amicos, quod tute agere possies.
Enn. Sat. apud Gell. N. A. 2, 29. fragmm. p. 161 ed. Vahl.

Diu cogita, an tibi aliquis in amicitiam recipiendus sit. Sen. Epist. 3, 2.

Eam diligentiam adhibeamus in amicitiis comparandis, ut ne quando amare incipiamus eum, quem aliquando odisse possimus. Cic. Lael. 16, 60.

Vulgo dicitur multos modios salis simul edendos esse, ut amicitiae munus expletum sit. Cic. Lael. 19, 67.

Post amicitiam credendum est, ante amicitiam iudicandum. Sen. Epist. 3, 2.

Quemadmodum in se quisque, sic in amicum sit animatus. Cic. Lael. 16, 56.

Si aliquem amicum existimas, cui non tantundem credis, quantum tibi, vehementer erras et non satis nosti vim verae amicitiae. Sen. Epist. 3, 2.

Volgare amici nomen, sed rara est fides.
Phaedr. fab. 3, 9, 1.

Amicus certus in re incerta cernitur.
Ennius apud Cic. Lael. 17, 64. fragmm. p. 59 ed. Ribb.

Turpe quidem dictu, sed, si modo vera fatemur,
Volgus amicitias utilitate probat. Ovid. ex Pont. 2, 3, 7.

Ut cuique homini res parata est, perinde amicis utitur:
Si res firma est, itidem firmi amici sunt; si res labat,
Itidem amici collabascunt: res amicos invenit.
Plaut. Stich. 4, 1, 16.

Plures amicos re secunda compara,
Paucos amicos rebus adversis proba.
Pittac. apud Auson. p. 148 ed. Bip.

Diligitur nemo, nisi cui fortuna secunda est,
Quae simul intonuit, proxima quaeque fugat.
Ovid. ex Pont. 2, 3, 23.

Qui fortunis alicuius inducti amicitiam eius secuti sunt, hi, simulac fortuna dilapsa est, devolant omnes.
Cornif. ad Herenn. 4, 17, 24.

Donec eris felix, multos numerabis amicos;
Tempora si fuerint nubila, solus eris.
Ovid. Trist. 1, 8, 5.

Plerumque in calamitate ex amicis inimici existunt. Caes. de bell. civ. 3, 104.

Plus amici nocuimus quam inimici. Quint. Decl. 9, 1.

Cum fortuna manet. voltum servatis amici;
Cum cecidit, turpi vertitis ora fuga. Petr. Sat. 8.

De inimicitiis.

Occultae inimicitiae magis timendae sunt quam apertae. Cic. in Verr. 5, 61, 182.

Melius de quibusdam acerbi inimici merentur quam ii amici, qui dulces videntur. Cato ap. Cic. Lael. 24, 90.

Fas est et ab hoste doceri. Ovid. Metam. 4, 428.

2. De amore et odio. De reconciliatione.

Caritate benevolentiaque sublata omnis est e vita sublata iucunditas. Cic. Lael. 27, 102.

Non potest amor cum timore misceri. Sen. Epist. 47, 18.

Non facile diiudicatur amor verus et fictus, nisi aliquod incidat eiusmodi tempus, ut quasi aurum igni, sic benevolentia fidelis periculo aliquo perspici possit. Cic. ad fam. 9, 16, 2.

Odium est ira inveterata. Cic. Tusc. 4, 9, 21.

Frustra niti neque aliud se fatigando nisi odium quaerere extrema dementia est. Sallust. Iug. 3.

Nihil est iniquius quam aliquem heredem paterni odii fieri. Sen. de ira 2, 34, 3.

Nihil laudabilius, nihil magno et praeclaro viro dignius placabilitate atque clementia. Cic. de off. 1, 25, 88.

Reconciliatio tua et facilis sit et certa. Sen. Epist. 105, 4.

3. De concordia et discordia. De obsequio. De contentione.

Concordia res parvae crescunt, discordia maximae dilabuntur. Sallust. Iug. 10.

Beneficiis humana vita constat et concordia. Sen. de ira 1, 5, 3.

Discordia est ira acerbior odio, intimo corde concepta. Cic. Tusc. 4, 9, 21.

Est non modo liberale paullum nonnumquam de suo iure decedere, sed interdum etiam fructuosum. *Id.* de off. 2, 18, 64.

Cede repugnanti: cedendo victor abibis. Ovid. A. A. 2, 197.

Turpe ducas cedere pari, pulchrum superasse maiores. Quint. Inst. 1, 2, 22.

Contentio tam diu sapiens est, quam diu aut proficit aliquid aut, si non proficit, non obest civitati. Cic. pro Balb. 27, 60.

Cum pare contendere anceps est, cum superiore furiosum, cum inferiore sordidum. Sen. de ira 2, 34, 1.

Facilius est se a certamine abstinere quam abducere. *Id.* ib. 3, 8, 8.

4. De gratia et favore. De commendatione.

Quo se fortuna, eodem etiam favor hominum inclinat. Iustin. Hist. 5, 1.

Est naturalis favor pro laborantibus. Quint. Inst. 4, 1, 9.

Favor et misericordia acres et vehementes primos impetus habent, paullatim consilio et ratione quasi restincta considunt. Plin. Epist. 2, 11, 7.

Qualem commendes etiam atque etiam aspice, ne mox
Incutiant aliena tibi peccata timorem.

Hor. Epist. 1, 18, 76.

5. De invidia.

Invidentia est aegritudo suscepta propter alterius res secundas, quae nihil nocent invidenti. Cic. Tusc. 4, 8, 17.

Invidetur praestanti florentique fortunae.

Id. de orat. 2, 52, 210.

Est haec saeculi labes quaedam et macula virtuti invidere, velle ipsum florem dignitatis infringere.

Cic. pro Balb. 6, 15.

Nulla tam modesta felicitas est, quae malignitatis dentes evitare possit. Valer. Max. 4, 7 ext. 2.

Adsidua eminentis fortunae comes invidia.

Vell. Paterc. 1, 9, 6.

Numquam eminentia invidia carent. *Id.* 2, 40, 5.

Invidia gloriae comes est, et libenter de his detrahunt, quos eminere vident altius. Cornel. Nep. Chabr. 3, 3.

Intacta invidia media sunt, ad summa tendit.

Liv. Hist. 45, 35.

Sicut arborum altissimas vehementius quati videmus, ita virtutes maximas invidia criminosius incessit.

Fronto p. 249 ed. Nieb.

Invident homines maxime paribus aut inferioribus, cum se relictos sentiunt, illos autem dolent evolasse;

sed etiam superioribus invidetur saepe vehementer, et eo magis, si intolerantius se iactant.

Cic. de orat. 2, 52, 209.

Praesentia invidia, praeterita veneratione prosequimur.

Vell. Pat. 2, 92, 5.

In laudem vetustorum invidia non obstat.

Sen. de ben. 7, 8, 2.

Pascitur in vivis livor, post fata quiescit:

Tunc suus ex merito quemque tuetur honos.

Ovid. Amor. 1, 15, 39.

Quoniam in vicino versatur invidia, simplicius longe posita miramur. Sen. de brev. vit. 15, 4.

Haec insita est mortalibus natura, ut recentem aliorum felicitatem aegris oculis introspiciant modumque fortunae a nullis magis exigant, quam quos in aequo videre. Tacit. Hist. 2, 20.

Nulli ad aliena respicienti sua placent. Sen. de ira 3, 31, 1.

Invidus alterius macrescit rebus opimis;

Invidia Siculi non invenere tyranni

Maius tormentum. Hor. Epist. 1, 2, 57.

Fertilior seges est alienis semper in arvis,

Vicinumque pecus grandius uber habet.

Ovid. A. A. 1, 349.

Numquam erit felix, quem torquebit felicior.

Sen. de ira 3, 30, 3.

Alexander invidos homines dixit nihil aliud quam ipsorum esse tormenta. Curt. 8, 12.

Bono nulla cuiusquam boni invidia est. Sen. Epist. 65, 10.

Sic invidiam effugies, si te non ingesseris oculis, si bona tua non iactaveris, si scieris in sinu gaudere. *Id.* ib. 105, 3.

Nulli celerius homines incidere debent in malam fortunam, quam qui alienam concupiscunt. Petron. 140.

De superbia et fastu. De contemptu apud alios.

Inquinat egregios adiuncta superbia mores. Claudian. in IV. consul. Honor. 305.

Cum omnis arrogantia odiosa est, tum illa ingenii atque eloquentiae multo molestissima. Cic. in Caecil. div. 11, 36.

Nemo ab aliis contemnitur, nisi a se ante contemptus est. Sen. consol. ad Helv. 13, 6.

Num ullum supplicium gravius putas publico odio? Sen. de ben. 3, 17, 1.

6. De suspicaci animo. De malignitate.

Est boni viri non solum ab aliquo adlatas criminationes repellere, sed ne ipsum quidem esse suspiciosum. Cic. Lael. 18, 65.

Ut quisque est vir optimus, ita difficillime alios improbos suspicatur. Cic. ad Quint. Fratr. 1, 1, 4, 12.

Nos in vitium credula turba sumus. Ovid. Fast. 4, 312.

Reperies qui ob similitudinem morum aliena malefacta sibi obiectari putent. Tacit. Ann. 4, 33.

Conscius ipse sibi de se putat omnia dici. Cat. Distich. 17.

Omnes, quibus res sunt minus secundae, magis sunt nescio quomodo
Suspiciosi; ad contumeliam omnia accipiunt magis;
Propter suam impotentiam se semper credunt ludier,
Terent. Adelph. 4, 3, 14.

Homines non modo res praeclarissimas obliviscuntur, sed etiam nefarias suspicantur. Cic. pro Mil. 23, 63.

Nulla tam modesta felicitas est, quae malignitatis dentes vitare possit. Valer. Max. 4, 7 ext. 2.

Procax est natura multorum in aliorum miseriis. Plin. Nat. Hist. 26, 1, 2, 2.

Est miserorum ut malevolentes sint. Plaut. Capt. 3, 4, 51.

7. De simulatione. De fide.

De voltu et fronte hominis.

Voltus totus sermo quidam tacitus mentis est. Cic. in Pison. 1, 1.

Frons est animi ianua. Cic. de petit. consul. 11, 44.

Fronti nulla fides. Iuven. Sat. 2, 8.

Animi est omnis actio et imago animi voltus, indices oculi. Cic. de orat. 3, 59, 221.

Heu quam difficile est crimen non prodere voltu! Ovid. Met. 2, 447.

De simulatione.

Nihil simulatio proficit. Sen. Epist. 79, 18.

Virtute ipsa multi non tam praediti esse quam videri volunt. Cic. Lael. 26, 97.

Totius iniustitiae nulla capitalior est quam eorum, qui tum, cum maxime fallunt, id agunt, ut viri boni esse videantur. Cic. de offic. 1, 13, 14.

Nullae sunt occultiores insidiae, quam eae, quae latent in simulatione officii aut in aliquo necessitudinis nomine. Nam eum, qui palam est adversarius, facile

cavendo vitare possis; hoc vero occultum, intestinum ac domesticum malum non modo non existit, verum etiam opprimit, antequam prospicere atque explorare potueris. Cic. in Verr. 21, 15, 39.

De fide.

Fides sanctissimum humani pectoris bonum est; nulla necessitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur bono. Sen. Epist. 88, 29.

Fides supremum rerum humanarum vinculum est; sacra laus fidei inter hostes. Quint. Decl. 343 p. 326 ed. Bip.

Cum fide omnis humana societas tollitur.

Appius Claud. ap. Liv. 6, 41 extr.

Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est inspicienda fides.

Ovid. Trist. 1, 4, 25.

Homines eis conciliantur et his studere consueverunt, quos conservare fidem vident. Cornel. Nep. Ages. 2, 5.

Nusquam tuta fides. Vergil. Aen. 4, 373.

Qui non reverentur homines, fallunt deos. Curt. 7, 8.

Fidem qui perdit, perdere ultra nil potest.

Publ. Syr. 160 p. 271 ed. Ribb.

Fides, ut anima, unde abiit, eo numquam redit.

Publ. Syr. 162 p. 271 ed. Ribb.

IV.

DE HUMANITATE. DE CLEMENTIA ET MISERATIONE. DE INDULGENTIA IN ALIOS. DE BENEFICENTIA ET LIBERALITATE. DE IUSTITIA.

1. De humanitate.

Quid sit humanitas.

Humanitas significat dexteritatem quantam benevolentiamque erga omnes homines promiscuam.

GELL. N. A. 13, 17, 1.

Humanitas conveniens est homini.

Homo sum, humani nihil a me alienum puto.

TERENT. Heaut. 1, 1, 25.

Conveniens homini est hominem servare voluptas,
Et melius nulla quaeritur arte favor.

OVID. ex Pont. 2, 9, 39.

Quid nobis tam naturale, quid ab ipsa providentia magis datum concessumque videri potest quam alere homines ac sustinere? QUINT. Declam. 260 p. 61 ed. Bip.

Alteri vivas oportet, si tibi vis vivere. SEN. Ep. 48, 2.

Magna scilicet laus est, si homo mansuetus homini est. Praecipiemus, ut naufrago manum porrigat, erranti viam monstret, cum esuriente panem suum dividat.

SEN. Epist. 95, 51.

Iniquum est collapsis manum non porrigere: commune hoc ius generis humani est. SEN. Contr. 1 p. 76 ed. Bip.

Pulcherrimum opus est etiam invitos nolentesque servare. SEN. de ben. 2, 14, 4.

Invitum qui servat, idem facit occidenti.
HORAT. de art. poet. 467.

Commodis omnium laeteris, movearis incommodis.
SEN. Epist. 103, 3.

Humanitati quis modus statuendus.

Nemini damnosum debet esse officium suum.
GAIUS in Pandect. 29, 3, 7.

Verum illud proverbium est, vulgo quod dici solet,
Omnes sibi malle melius esse quam alteri.
TERENT. Andr. 2, 5, 15.

Proximus sum egomet mihi. *Id.* ibid. 4, 1, 12.

Tunica propior pallio est. PLAUT. Trin. 5, 2, 30.

Solus animantium homo homini infestus.

Cetera animantia in suo genere probe degunt: congregari videmus et stare contra dissimilia . . . . At homini plurima sunt ex homine mala.
PLIN. Nat. Hist. 7 prooem.

Ferae inter se placidae sunt morsuque similium abstinent. SEN. de ira 2, 8, 3.

2. De clementia et miseratione. De indulgentia in alios.

De clementia et miseratione.

Sola deos aequat clementia nobis.
CLAUD. de 4 cons. Honor. 277.

Nihil laudabilius, nihil magno et praeclaro viro dignius clementia. CIC. de offic. 1, 26, 88.

Si egregium est hostem abicere, non minus laudabile est infelicis scire misereri. VALER. MAX. 5, 1, 8.

Facile est miserum inridere. PLAUT. Curcul. 2, 1, 25.

De precibus et imperiis.

Nulla res carius constat quam quae precibus empta est. Sen. de ben. 2, 1, 4.

Invisa sunt imperia et omnis necessitas gravis. Sen. de ben. 3, 19, 4.

Potestas non solum si invitat, sed etiam si supplicat, cogit. Macrob. Saturn. 2, 7 ex Graeco:

αἱ τῶν τυράννων δεήσεις μεμιγμέναι ταῖς ἀνάγκαις εἰσίν.

Non sunt preces, ubi negandi libertas non est. Quint. Decl. 281 p. 135 ed. Bip.

De indulgentia in alios.

Dextera praecipue capit indulgentia mentes,
Asperitas odium saevaque verba movet.
Ovid. A. A. 2, 145.

Pulcherrimum et humanissimum existimo severitatem comitatemque miscere, ne illa in tristitiam, haec in petulantiam procedat. Plin. Epist. 8, 21.

Demus alienis oblectationibus veniam, ut nostris impetremus. *Id.* ib. 9, 17, 4.

Nemo ad dandam veniam difficilior est, quam qui illam petere saepius meruit. Sen. de clem. 1, 6, 2.

Ego optimum atque emendatissimum existimo, qui ceteris ita ignoscit, tamquam ipse quottidie peccet, ita peccatis abstinet, tamquam nemini ignoscat. Plin. Epist. 8, 22.

Nihil est minus ferendum quam rationem ab altero vitae reposcere eum, qui non possit suae reddere. Cic. in Caec. div. 9, 27.

Qui sibi hoc sumit, ut corrigat mores aliorum ac peccata reprehendat, quis huic ignoscat, si qua in re ipse ab religione officii declinarit? Cic. in Verr. 2, 3, 1, 2.

Omnia, quae vindicaris in altero, tibi ipsi vehementer fugienda sunt. Cic. in Verr. 2, 3, 2, 4.

Ignoscito saepe alteri, numquam tibi.
Publ. Syr. 208 p. 274 ed. Ribb.

Ignoscas aliis multa, nihil tibi.
Cleobul. apud Auson. p. 148 ed. Bip.

In omni vitae genere hoc teneamus, ut nobis implacabiles simus. Plin. Epist. 8, 22, 3.

Familiare est hominibus omnia sibi ignoscere, nihil aliis remittere. Vell. Paterc. 2, 30, 3.

Nemo non est benignus sui iudex. Sen. de ben. 2, 26.

Aliena vitia in oculis habemus, a tergo nostra sunt.
Sen. de ira 2, 28, 8.

Fit nescio quomodo, ut magis in aliis cernamus, quam in nobismet ipsis, si quid delinquitur. Cic. de offic. 1, 45, 3.

3. De beneficentia et liberalitate.

De beneficentia.

Quid est melius aut quid praestantius bonitate et beneficentia? Cic. de nat. deor. 1, 43, 121.

Hominibus prodesse natura iubet; servi liberine sint, ingenui an libertini, quid refert? ubicumque homo est, ibi beneficio locus est. Sen. de vit. beat. 24, 3.

Non ita claudenda est res familiaris, ut eam benignitas aperire non possit, nec ita reseranda, ut pateat omnibus. Modus adhibeatur isque referatur ad facultates. Cic. de offic. 2, 15, 55.

Non est magni animi qui de alieno liberalis est, sed ille, qui quod alteri donat sibi detrahit.

Sen. de clem. 1, 20, 3.

In beneficiis dandis et accipiendis quae cautio adhibenda sit.

In beneficio iucundissima est tribuentis voluntas.

Sen. de ben. 2, 1, 2.

Beneficium non in eo, quod fit aut datur, consistit, sed in ipso dantis aut facientis animo. Sen. de ben. 1, 6, 1.

Qui dat beneficia, deos imitatur, qui repetit, feneratores. Sen. de benef. 3, 15, 4.

Omnium beneficiorum ista natura est, ut non sit necessitas, sed potestas. Quintil. Declam. 7, 4.

Lacerat animum et premit frequens meritorum commemoratio. Sen. de ben. 2, 11, 1.

Qui dedit beneficium taceat, narret qui accepit.

Id. ibid. 2, 11, 2.

Saepe quod datur exiguum est, quod sequitur ex eo, magnum. Sen. Epist. 81, 14.

Si bene quid facies, facias cito: nam cito factum
Gratum erit; ingratum gratia tarda facit.

Auson. Epigr. 82, 1.

Omnis benignitas properat, et proprium est libenter facientis cito facere. Sen. de ben. 2, 5, 4.

Beneficium, quod quibus libet datur, nulli gratum est. Sen. de benef. 1, 14, 1.

Quod beneficium in tempore et cupienti datur, gratum est. Utilitas enim ac voluntas accipiendi hono-

rem dantis facit ampliorem. At quod sero et non desideranti datur, ingratum est. Amisso enim tempore utilitatis cadit accipiendi utilitas.

Demetr. Phal. apud Rutil. Lup. p. 4 ed. Ruhnk.

Benefacta male locata malefacta arbitror.

Ennius apud Cic. de offic. 2, 18, 62.

Beneficium accipere est libertatem vendere.

Publ. Syr. 49 p. 264 ed. Ribb.

Nemo habet tam certam in beneficiis manum, ut non saepe fallatur. Sen. Epist. 81, 2.

Errat, si quis existimat facilem rem esse donare. Plurimum ista res habet difficultatis, si modo consilio tribuitur, non casu et impetu spargitur.

Sen. de vit. beat. 24, 1.

Quisquis magna dedit, voluit sibi magna remitti.

Martial. Epigr. 5, 60, 3.

De grato animo.

Gratus anîmus est una virtus non solum maxima, sed etiam mater virtutum omnium reliquarum.

Cic. pro Planc. 33, 80.

Non is solum debet gratus esse, qui accepit beneficium, verum etiam is, cui potestas accipiundi fuit.

Cic. de prov. cons. 17, 41.

Satius est prodesse etiam malis propter bonos, quam bonis deesse propter malos. Sen. de benef. 4, 28, 1.

Bonis quod bene fit, haud perit. Plaut. Rud. 4, 3, 2.

Malo si quid bene facias, id beneficium interit.

Plaut. Poen. 3, 3, 22.

Si quid bene facias, levior pluma est gratia;
Si quid peccatum est, plumbeas iras gerunt.
PLAUT. Poen. 3, 6, 17.

Non est quod tardiores faciat ad bene merendum turba ingratorum. SEN. de ben. 1, 1, 9.

Est tanti, ut gratum invenias, experiri et ingratos.
SEN. Epist. 81, 2.

Omnes inmemorem beneficii oderunt. CIC. de off. 2, 18, 63.

Nil homine terra peius ingrato creat.
AUSON. Epigr. 140 p. 47 ed. Bip.

Improbus est homo, qui beneficium scit accipere
Et reddere nescit. PLAUT. Pers. 5, 1, 10.

Ingratus unus omnibus miseris nocet.
PUBL. SYR. 216 p. 274 ed. Ribb.

4. De iustitia.

De iustitia.

Iustitia omnium est domina et regina virtutum.
CIC. de off. 3, 6, 28.

Fundamentum perpetuae commendationis et famae est iustitia, sine qua nihil potest esse laudabile.
CIC. de off. 2, 20, 71.

Discite iustitiam moniti et non temnere divos.
VERGIL. Aen. 6, 620.

Iustitia in suo cuique tribuendo cernitur.
CIC. de fin. 5, 23, 67.

Scientia, quae est remota a iustitia, calliditas potius quam sapientia est appellanda. CIC. de off. 1, 19, 63.

Iustitia sine prudentia multum poterit, sine iustitia nihil valebit prudentia. CIC. de off. 2, 9, 34.

Elatio animi si iustitia vacat, in vitio est.
Cic. de off. 1, 19, 62.

Meminerimus etiam adversus infimos iustitiam esse servandam. Cic. de off. 1, 13, 41.

De iniuriis inlatis.

Multis minatur qui uni facit iniuriam.
Publ. Syr. 302 p. 278 ed. Ribb.

Accipere quam facere praestat iniuriam.
Cic. Tusc. 5, 19, 56.

Magni animi est iniurias despicere. Sen. de ira 2, 32, 3.

Saepe satius fuit dissimulare quam ulcisci.
Sen. de ira 2, 33, 1.

Aut potentior te aut imbecillior laesit: si imbecillior, parce illi; si potentior, tibi. Sen. de ira 3, 5, 8.

Iniuriarum remedium est oblivio.
Publ. Syr. 222 p. 275 ed. Ribb.

De minis.

Nulla minantis auctoritas apud liberos est.
Brut. et Cass. in Cic. Epist. ad fam. 11, 3, 3.

Canis timidus vehementius latrat quam mordet. Curt. 7, 4.

Non semper feriet, quodcumque minabitur arcus.
Horat. de arte poet. 350.

De insidiis.

Insidias undique imminentes subire semel satius est quam cavere semper. Caesar ap. Suet. 86.

De ultione.

Ultio doloris confessio est. Sen. de ira 3, 5, 8.

Minuti
Semper et infirmi est animi exiguique voluptas
Ultio. Iuven. Sat. 13, 189.

EE. DE REPUBLICA.

I.

DE CIVITATE ET DE REPUBLICA.

1. Quid sit civitas.

Concilia coetusque hominum iure sociati civitates appellantur. Cic. Somn. Scip. 3 [de republ. 1, 25, 39].

Respublica est res populi. Populus autem est coetus multitudinis iuris consensu et utilitatis communione sociatus. Cic. de republ. lib. 3 apud August. de civ. 2, 21. (apud Mai. p. 37, apud Osann. p. 307).

2. Civitatis quae sit causa.

Prima causa coeundi est non tam inbecillitas, quam naturalis quaedam hominum quasi congregatio.
Cic. de rep. 1, 25, 39.

Oppida coeperunt munire et ponere leges,
Ne quis fur esset neu latro neu quis adulter.
Hor. Sat. 1, 3, 105.

3. Civitates rerum vicissitudini subiectae.

Quotaquaeque felicitatem civitas pertulit? Sen. Ep. 91, 7.

Regna ex infimo coorta supra imperantes constiterunt; vetera imperia in ipso flore conciderunt.
Sen. Nat. Quaest. 3 praef. 9.

Hora momentumque temporis evertendis imperiis sufficit. Sen. Epist. 91, 6.

Numquam in solido stetit superba felicitas et ingentium imperiorum magna fastigia oblivione fragilitatis humanae collapsa sunt. Sen. Suas. 1 p. 13 ed. Bip.

Omnium istarum civitatum, quas nunc magnificas ac nobiles audis, vestigia quoque tempus eradet. Sen. Epist. 91, 10.

Omnes, quae usquam rerum potiuntur, urbes quaeque alienorum imperiorum magna sunt decora, ubi fuerint, aliquando quaeretur et vario exitii genere tollentur. Sen. Epist. 71, 15.

Numquam inmodica durarunt, nisi illa moderatrix ratio compescuit. Hoc multarum tibi urbium ostendet eventus, quarum in ipso flore luxuriosa imperia ceciderunt, et quicquid virtute partum erat, intemperantia corruit. Sen. Epist. 74, 19.

4. Nullae nationes deleri possunt nisi sua culpa.

Nulla quamvis minima natio potest ab adversariis deleri, nisi propriis simultatibus se ipsa consumpserit. Veget. R. M. 3, 10.

5. De patria i. e. de civitate, cuius communione tenemur.

Patria est communis omnium parens. Cic. in Catil. 1, 7, 17.

6. De patriae caritate.

Omnium societatum nulla est gravior, nulla carior,

quam ea, quae cum republica unicuique est nostrum. Cari sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares; sed omnes omnium caritates patria una complexa est. Cic. de off. 1, 17, 57.

Dulce et decorum est pro patria mori. Hor. Od. 3, 2, 13.

Certum est omnia licere pro patria. Quintil. Decl. 369 p. 371 ed. Bip.

Nihil ex omnibus rebus humanis est praeclarius aut praestantius quam de republica bene mereri. Cic. Epist. ad fam. 10, 5, 2.

Ut parentum saevitia, sic patriae patiendo ac ferendo lenienda est. Liv. Hist. 27, 34, 14.

II.

DE REPUBLICA MODERANDA.

1. Imperii quieti quae facies.

Non alia facies quieti moderatique imperii quam sereni caeli et nitentis. Sen. de clem. 1, 7, 2.

2. De imperii maiestate.

Maiestas imperii est salutis tutela. Curt. 8, 5.

3. De sapientia in republica moderanda.

Omnis civitas, omnis respublica consilio quodam regenda est, ut diuturna sit. Cic. de republ. 1, 26, 41.

Ad rempublicam plurima commoda veniunt, si moderatrix omnium rerum praesto est sapientia. Cic. de inv. 1, 4, 5.

Non ibi consistunt exempla, unde coeperunt, sed quamlibet in tenuem recepta tramitem latissime evagandi sibi viam faciunt. Vell. Pat. 2, 3, 4.

4. Quae potentia sit tuta.

Ea demum tuta est potentia, quae viribus suis modum imponit. VALER. MAX. 4, 1 ext. 8.

Omnia nimia cum vel in tempestate vel in agris vel in corporibus laetiora fuerunt, in contraria fere convertuntur, maximeque id in rebus publicis evenit, nimiaque illa libertas et populis et privatis in nimiam servitutem evadit. CIC. de republ. 1, 44, 68.

Omnis nimia potentia saluberrime brevitate constringitur. SEN. Contr. 23 p. 259 ed. Bip.

Nihil tam civile, tam utile est, quam brevem potestatem esse, quae magna est. SEN. Contr. 23 ed. Bip.

Violenta nemo imperia continuit diu,
Moderata durant. SEN. Troad. 2, 217.

Nihil rerum mortalium tam instabile ac fluxum est, quam fama potentiae non sua vi nixa. TACIT. Ann. 13, 9.

5. Imperium legitimum et iustum esse debet.

Nulla potentia scelere quaesita cuiquam est diuturna. CURT. 10, 10.

Nemo umquam imperium flagitiis quaesitum bonis artibus exercuit. TACIT. Hist. 1, 30.

6. Certissimum imperii fundamentum in amore tam singulorum inter se quam civium in eos qui praesunt positum.

Salva esse societas nisi custodia et amore partium non potest. SEN. de ira 2, 31, 7.

Nullum est imperium tutum nisi benevolentia munitum. CORN. NEP. Dion. 5, 3.

Errat, si quis existimat tutum esse ibi regem, ubi nihil ab rege tutum est. Sen. de clem. 1, 19, 5.

Male vim suam potestas aliorum contumeliis experitur, male terrore veneratio adquiritur, longeque valentior amor ad obtinendum quod velis quam timor: nam timor abit, si recedas; manet amor, ac sicut ille in odium, hic in reverentiam vertitur.
Plin. Epist. 8, 24, 6.

Caritate et benevolentia civium saeptum oportet esse, non armis. Cic. Phil. 2, 44, 112.

Unum est inexpugnabile munimentum amor civium.
Sen. de clem. 1, 19, 6.

7. De iis qui praesunt reipublicae.

Magnum est personam in republica tueri principis, quae non animis solum debet, sed etiam oculis servire civium. Cic. Philipp. 8, 10, 29.

Qui reipublicae praefuturi sunt, duo Platonis praecepta teneant: unum, ut utilitatem civium sic tueantur, ut quaecumque agunt ad eam referant obliti commodorum suorum; alterum, ut totum corpus reipublicae curent, ne dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant. Cic. de off. 1, 25, 85.

Boni malique nihil est, quod in diversum traduci nequeat moribus praesidentium. Aurel. Vict. te Caes. 13.

Si quid iniungere inferiori velis, id prius in te ac tuos si ipse iuris statueris, facilius omnes oboedientes habeas. Liv. 26, 36.

Nemo regere potest, nisi qui et regi.
Sen. de ira 2, 15, 4.

Principum munus est resistere et levitati multitudinis et perditorum temeritati. Cic. pro Milon. 8, 22.

Ad curam principis magistratuum creatio pertinet, non ad populi favorem. Modestin. in Pandect. 48, 14, 1.

Non quicquam pulchrius existimo quam in summo fastigio conlocatos multarum rerum veniam dare, nullius petere. Sen. de cons. ad Marc. 4, 4.

8. De honoribus et dignitatibus.

Populi grati est praemiis adficere bene meritos de republica cives. Cic. pro Mil. 30, 82.

Eo inpenditur labor ac periculum, unde emolumentum atque honos speratur. Nihil non aggrediuntur homines, si magnis conatis magna praemia proponuntur. Liv. 4, 35, 7.

Confragosa in fastigium dignitatis via est. Sen. Epist. 84, 13.

Is mihi videtur amplissimus, qui sua virtute in altiorem locum pervenit, non qui ascendit in alterius incommodum et calamitatem. Cic. pro Rosc. Am. 30, 83.

Facilius crescit dignitas quam incipit. Sen. Epist. 101, 1.

[Honorem] plus est servasse repertum
Quam quaesisse. Claudian. 2. in laud. Stil. 326.

Quanto altius quisque elatus est, tanto foedius corruit. Liv. 30, 30.

Honores quondam fuerunt rari et tenues ob eamque causam gloriosi, nunc autem effusi atque obsoleti. Cornel. Nep. Milt. 6, 2.

Mobiles adulescentium animi praematuris honoribus ad superbiam non sunt extollendi. Tac. Annal. 4, 17, 3.

Curia pauperibus clausa est, dat census honores.
Ovid. Amor. 3, 8, 55.

9. De iis qui parent.

Oportet et eum, qui paret, sperare se aliquo tempore imperaturum et illum, qui imperat, cogitare brevi tempore sibi esse parendum. Cic. de legg. 3, 2, 5.

Est summa ratio et sapientia boni civis commoda civium non divellere atque omnes aequitate eadem continere. Cic. de offic. 2, 23, 83.

Bonus civis tradet se totum reipublicae.
Cic. de off. 1, 25, 86.

Numquam inutilis est opera civis boni. [Auditu enim, visu,] voltu, nutu, obstinatione tacita incessuque ipso prodest. Sen. de tranq. an. 4, 6.

Facile est impetum in bonos. Plaut. Mil. glor. 3, 1, 17.

10. De universo populo.

De optimatibus et potentioribus in civitate.

Plurimum momenti persona solet adferre in rebus.
Sen. Epist. 81, 16.

Omnibus bonis expedit salvam esse rempublicam, sed in iis, qui fortunati sunt, magis id apparet.
Cic. Phil. 13, 8, 16.

Natura omnibus novitatis incrementis adversa nobilitas. Quintil. Declam. 3, 18.

Contemptor animus et superbia commune nobilitatis malum. Sall. Iug. 64, 1.

Humiles laborant, ubi potentes dissident.
Phaedr. 1, 30, 1.

Quanto superiores sumus, tanto nos geramus submissius. Cic. de offic. 1, 26. 90.

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.
Iuven. Sat. 8, 140.

In maxuma fortuna minuma licentia est.
Caesar apud Sall. Cat. 51, 13.

Haec condicio superiorum est, ut quicquid faciunt praecipere videantur. Quint. Declam. 3, 15.

Dat veniam corvis, vexat censura columbas.
Iuven. Sat. 2, 63.

Compertum est humillimos quosque maxime, ubi alta accesserunt, superbia atque ambitione inmodicos esse.
Aurel. Vict. de Caes. 39.

Asperius nihil est humili, cum surgit in altum:
Cuncta ferit, dum cuncta timet, desaevit in omnes,
Ut se posse putent; nec belua taetrior ulla est,
Quam servi rabies in libera terga furentis.
Claudian. in Eutrop. 1, 181.

De multitudine. De vulgo. De humilioribus.

Numquam ad contumaciam pari consensu multitudo prorumpit, sed incitatur a paucis, qui vitiorum scelerumque inmunitatem sperant peccare cum plurimis.
Veget. R. M. 3, 4.

Mota semel multitudo modum non servat.
Sen. Exc. Contr. 3, 8. p. 110 ed. Bip.

Non semper danda pecunia; languescet alioqui industria, intendetur socordia, si nullus ex se metus aut

spes, et securi omnes aliena subsidia expectabunt, sibi ignavi, nobis graves. TACIT. Ann. 2, 38.

Nec rationem patitur nec aequitate mitigatur nec ulla prece flectitur esuriens populus. SEN. de brev. vit. 18, 5.

Non est consilium in volgo, non ratio, non discrimen, non diligentia, semperque sapientes ea, quae populus fecisset, ferenda, non semper laudanda duxerunt. CIC. pro Planc. 4, 9.

Volgus veritatis pessimus interpres. SEN. de vit. beat. 2, 2.

Sic est volgus: ex veritate pauca, ex opinione multa aestimat. CIC. pro Rosc. Com. 10, 29.

Qui ex errore inperitae multitudinis pendet, hic in magnis viris non est habendus. CIC. de off. 1, 19, 65.

Quis placere potest populo, cui placet virtus? SEN. Epist. 29, 11.

Honores iniuriaeque volgi in promiscuo habenda: nec his dolendum nec illis gaudendum. SEN. de const. 19, 1.

De servis.

Servum plus oportet scire quam loqui. PLAUT. Epid. 1, 1, 57.

11. De sententiis ferendis.

Singulos integra re dissentire fas est; peracta quod pluribus placuit, cunctis tuendum. PLIN. Epist. 6, 13, 4.

12. De tributis.

Neque quies gentium sine armis neque arma sine stipendiis neque stipendia sine tributis haberi queunt. TACIT. Hist. 4, 74.

13. De rerum publicarum conversionibus.

Non est causa conversionis, ubi in suo est quisque gradu firmiter conlocatus et non subest quo praecipitet et decidat. Cic. de rep. 1, 45, 69.

Cave putes aut mare ullum aut flammam esse tantam, quam non facilius sit sedare quam effrenata insolentia multitudinem. Cic. de rep. 1, 42, 65.

Civitates malis studiis malisque doctrinis repente evertuntur. Cic. de legg. 2, 15, 39.

Non diu potest quae multorum malo exercetur potentia stare. Sen. de ira 3, 16, 2.

Praepotentia imperia agitatione rerum ad virtutem capessendam excitantur, nimia quiete in desidiam resolvuntur. Valer. Max. 7, 2, 1.

III.

DE RERUM PUBLICARUM GENERIBUS.

1. Quae sint rerum publicarum genera.

Cum penes unum est omnium summa rerum, regem illum unum vocamus et regnum eius rei publicae statum. Cum autem est penes delectos, tum illa civitas optimatium arbitrio regi dicitur. Illa autem est civitas popularis, sic enim appellant, in qua in populo sunt omnia. Cic. de rep. 1, 26, 42.

2. De vitiis quae horum generum sint propria.

In regnis nimis expertes sunt ceteri communis iuris et consilii; et in optimatium dominatu vix particeps libertatis potest esse multitudo, cum omni consi-

lio communi ac potestate careat; et cum omnia per populum geruntur, quamvis iustum atque moderatum, tamen ipsa aequabilitas est iniqua, cum habeat nullos gradus dignitatis. Cic. de rep. 1, 31, 47.

3. Nullum ex iis per se separatum probandum.

Eorum [generum] nullum ipsum per se separatum probo anteponoque singulis illud, quod conflatum fuerit ex omnibus. Cic. de rep. 1, 35, 54.

4. De republica libera.

Non potest bene geri respublica multorum imperiis. Cornel. Nep. Dion. 6, 4.

Nulla alia in civitate, nisi in qua populi potestas summa est, ullum domicilium libertas habet, qua quidem certe nihil potest esse dulcius. Cic. de rep. 1, 31, 47.

Si ius suum populi teneant, negant quicquam esse praestantius, liberius, beatius, quippe qui domini sint legum, iudiciorum, belli, pacis, foederum, capitis uniuscuiusque, pecuniae. Cic. de rep. 1, 32, 48.

Concordi populo et omnia referente ad incolumitatem et ad libertatem suam nihil est inmutabilius, nihil firmius. . . . . Si pecunias aequari non placet, si ingenia omnium paria esse non possunt, iura certe paria debent esse eorum inter se, qui sunt cives in eadem republica. Cic. de rep. 1, 32, 49.

Falso libertatis vocabulum obtenditur ab iis, qui privatim degeneres, in publicum exitiosi nihil spei nisi per discordias habent. Tacit. Ann. 11, 17.

5. De regno. De regibus.

Regnum per se optimum.

Optimus civitatis status sub rege iusto est.
Sen. de ben. 2, 20, 2.

Ipsum regale genus civitatis non modo non est reprehendendum, sed haud scio an reliquis simplicibus longe anteponendum. Cic. de rep. 2, 23, 43.

Regnum naturae conveniens.

Natura commenta est regem. Sen. de clem. 1, 19, 2.

Regale nomen sanctum.

Hoc fere sic solet fieri, ut regum adflictae fortunae facile multorum opes alliciant ad misericordiam, maximeque eorum, qui aut reges sunt aut vivunt in regno, quod regale iis nomen magnum et sanctum esse videatur. Cic. de imp. Cn. Pomp. 9, 24.

Bene imperare est ars.

Diocletianus princeps dixit nihil esse difficilius, quam bene imperare. Vopisc. Aurel. 43 p. 532.

Est aliquid valida sceptra tenere manu.
Ovid. Rem. Amor. 480.

Principis est virtus maxima nosse suos.
Mart. Epigr. 8, 15, 8.

Reges aliis sunt exemplo.

Vita principis censura est eaque perpetua.
Plin. Paneg. 45.

Ut cupiditatibus principum et vitiis infici solet tota civitas, sic emendari et corrigi continentia.
Cic. de legg. 3, 13, 30.

Licet videre, qualescumque summi civitatis viri fuerint, talem civitatem fuisse: quaecumque mutatio morum in principibus extiterit, eandem in populo secutam.

Cic. de legg. 3, 14, 31.

Rex velit honesta, nemo non eadem volet.

Sen. Thyest. 213.

In commune iubes si quid censesve tenendum,
Primus iussa subi: tunc observantior aequi
Fit populus nec ferre negat, cum viderit ipsum
Auctorem parere sibi. Componitur orbis
Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, ut vita regentis.
Mobile mutatur semper cum principe volgus.

Claudian. de quart. cons. Honor. 296.

Scilicet in volgus manant exempla regentum.

Claudian. Paneg. 1. in laudes Stil. 168.

De bonis regibus.

Facere recte cives suos princeps optimus faciendo docet. Vell. Paterc. 2, 126.

Quid pulchrius est quam vivere optantibus cunctis et vota non sub custode nuncupantibus?

Sen. de clem. 1, 19, 7.

Principes minus boni utcumque ferendi.

Bonos imperatores volo expetere, qualescumque tolerare oportet. Tacit. Hist. 4, 8, 3.

Ferenda regum ingenia, neque usui crebrae mutationes. Imper. Claud. ap. Tac. Ann. 12, 11.

De regum potentia.

An nescis longas regibus esse manus?
Ovid. Her. 17, 166.

Potestas non solum si invitat, sed etiam si supplicat, cogit. Macrob. Sat. 2, 7, 2.

Merces ab eo, qui iubere potest, vim necessitatis adfert. Tacit. Ann. 14, 14.

Grave imperium regum nihil inexploratum, quod investigari volunt, efficit. Liv. 39, 51.

Praecepta quaedam regibus et principibus sequenda.

Dictum hoc est Afri Domitii: princeps, qui volt omnia scire, necesse habet multa ignoscere. Quint. Inst. 8, 5, 3.

Principi, cui omnia licent, propter hoc ipsum multa non licent. Sen. consol. ad Pol. 7, 2.

Minimum decet lubere, cui multum licet.
Sen. Troad. 2, 334.

Maledicta et contumeliae cum abhorrent a litteris, ab humanitate, tum vero contraria sunt imperio ac dignitati. Cic. ad Quint. Fratr. 1, 1, 13, 39.

Regi vociferatio verborumque intemperantia non ex maiestate est. Sen. de clem. 1, 7, 4.

Iracundia cum in privata quottidianaque vita levis est animi atque infirmi, tum vero nihil est tam deforme, quam ad summum imperium etiam acerbitatem naturae adiungere. Cic. ad Quint. Fratr. 1, 1, 13, 37.

Quo maior moderatio in regibus, hoc laudanda magis est. Sen. de ira 2, 23, 3.

Nullum vitium taetrius quam avaritia, praecipue in principibus rempublicam gubernantibus.

Cic. de off. 2, 22, 77.

Constantius dicebat melius publicas opes a privatis haberi, quam intra unum claustrum reservari.

Eutrop. Brev. Hist. 10, 1.

Quae virtutes reges maxime deceant.

Compertum est eruditionem, elegantiam, comitatem praesertim principibus necessarias esse, cum sine his naturae bona quasi incompta aut etiam horrida despectui sint. Aurel. Vict. de Caes. 40, 13.

Regem armis quam munificentia vinci minus flagitiosum. Rex Bocchus apud Sall. Iug. 110, 5.

Clementia ornamentum imperiorum est simul et certissima salus. Sen. de clem. 1, 11, 4.

Est clementia omnibus quidem hominibus secundum naturam, maxime tamen decora imperatoribus.

Sen. de clem. 1, 5, 2.

Nullum clementia ex omnibus magis quam regem aut principem decet. Sen. de clem. 1, 3, 3.

Regum clementia in cives transit.

Regum ducumque clementia non in ipsorum modo, sed etiam in illorum, qui parent, ingeniis sita est.

Curt. 8, 7.

Quam in aliis vim habeat clementia.

Verecundiam peccandi facit ipsa clementia regentis: gravior multo poena videtur, quae a miti viro constituitur. Sen. de clem. 1, 22, 3.

De regum crudelitate. De tyrannis.

Regia crudelitas auget inimicorum numerum tollendo. Parentes enim liberique eorum, qui interfecti sunt, et propinqui et amici in locum singulorum succedunt.
SEN. de clem. 1, 8, 7.

Ut fulmina paucorum periculo cadunt, omnium metu, sic animadversiones magnarum potestatum terrent latius quam movent; non sine causa: non enim quantum fecerit, sed quantum facturus sit cogitatur in eo, qui omnia potest. SEN. de clem. 1, 8, 5.

Hoc pessimum habet crudelitas, quod perseverandum est nec ad meliora patet regressus.
SEN. de clem. 1, 13, 2.

[Tyrannus] timet timentes, metus in auctorem redit.
SEN. Oedip. 706.

Quem metuunt oderunt; quem quisque odit, periisse expetit. ENN. ap. Cic. de offic. 2, 7, 23.

Necesse est multos timeat quem multi timent.
LABER. apud MACROB. Sat. 1, 7 p. 258 ed. Ribb.

[Tyrannus] invisus est, quia timetur, et timeri vult, quia invisus est. Nec illas ipsas manus, quibus se commisit, secure aspicit et illo execrabili versu, qui multos dedit praecipites, utitur: Oderint, dum metuant.
SEN. de clem. 1, 12, 4.

Superbiae crudelitatique etsi serae, non tamen leves veniunt poenae. LIV. 3, 56.

De regum aula.

Pauci reges, non regna colunt,
Plures fulgor concitat aulae.

Cupit hic, regi proximus ipsi,
Clarus latas ire per urbes.
SEN. Herc. Oet. 616.

Apud regem omnis cena iucunda est SEN. de ira 3, 15, 1.

Fuge magna: licet sub paupere tecto
Reges et regum vita praecurrere amicos.
HOR. Epist. 1, 10, 32.

Fraus sublimi regnat in aula. SEN. Hippol. 978.

Exeat aula,
Qui volet esse pius: virtus et summa potestas
Non coeunt; semper metuet, quem saeva pudebunt.
LUCAN. 8, 493.

Nulla fides regni sociis, omnisque potestas
Inpatiens consortis erit. LUCAN. 1, 92.

De regum adulatione.

Adulatio perpetuum malum regum, quorum opes saepius adsentatio quam hostis evertit. CURT. 8, 5.

Suadere principi quod oporteat multi laboris; adsentatio erga principem quemcumque sine adfectu peragitur. TACIT. Hist. 1, 14.

Discant principes acclamationes veras falsasque discernere. PLIN. Paneg. 75.

Regum gratia quomodo utendum sit.

Pulchrum est et magna laude dignum amicitia principis in hoc, ut aliis aliquid impetremus, uti quantumque gratia valeas aliorum honoribus experiri.
PLIN. Epist. 1, 17, 2.

De regiae potentiae ministris.

Regiae potentiae ministros delectat potentiae suae longum spectaculum minusque se iudicant posse, nisi diu multumque singulis quid possint ostenderint; nihil confestim, nihil semel faciunt; iniuriae illorum praecipites, lenta beneficia sunt. SEN. de ben. 2, 5, 1.

IV.

DE LEGIBUS ET DE IUDICIIS.

1. De legibus.

Est lex nihil aliud, nisi recta et a numine tracta ratio, imperans honesta, prohibens contraria.

CIC. Phil. 11, 12, 28.

Vetustissimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere, eoque sine poena aut coercitionibus agebant, neque praemiis opus erat, cum honesta suopte ingenio peterentur, et ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. TAC. Ann. 3, 26.

Postquam subrepentibus vitiis in tyrannidem regna versa sunt, opus esse coepit legibus. SEN. Epist. 90, 6.

Leges primo, rudibus hominum ingeniis, simplices erant. TACIT. Ann. 3, 26.

Mens et animus et consilium civitatis posita sunt in legibus. CIC. pro Cluent. 53, 146.

Ut corpora nostra sine mente, sic civitas sine lege suis partibus, ut nervis ac sanguine et membris, uti non potest. CIC. pro Mur. 9, 19.

Constat profecto ad salutem civium civitatumque in-

columitatem vitamque hominum quietam et beatam conditas esse leges. Cic. de legg. 2, 5, 11.

Vitiorum emendatricem legem esse oportet commendatricemque virtutum. *Id.* ib. 1, 22, 58.

Quaedam iura non scripta, sed omnibus scriptis certiora sunt. Sen. Contr. 1 p. 75 ed. Bip.

Principio rerum populus nullis legibus tenebatur; arbitria principum pro legibus erant. Iust. Hist. 1, 1.

Nos ideo magistratus legesque a maioribus accepimus, ne sui quisque doloris vindex sit.

Quintil. Declam. 13, 11.

Legum ministri magistratus, legum interpretes iudices, legum denique idcirco omnes servi sumus, ut liberi esse possimus. Cic. pro Cluent. 53, 146.

Pareto legi, quisque legem sanxeris.

Pittac. Mityl. apud Auson. p. 148 ed. Bip.

Unam tollendo legem ceteras infirmaveris.

Cato ap. Liv. 34, 3.

Leges bonae ex malis moribus procreantur.

Macrob. Saturn. 3, 17, 10.

Quid leges sine moribus
Vanae proficiunt? Hor. Od. 3, 24, 35.

Legem brevem esse oportet, quo facilius ab imperitis teneatur. Sen. Epist. 94, 38.

In omnibus legibus solam spectari oportet scribentis voluntatem. Quint. Declam. 317 p. 227 ed. Bip.

Omnes leges ad commodum reipublicae referre oportet et eas ex utilitate communi interpretari.

Cic. de invent. 1, 38, 68.

Nulla lex satis commoda omnibus est; id modo quaeritur, si maiori parti et in summam prodest.

Liv. Hist. 34, 3.

Non omnes casus providere legum latores possunt.

Quint. Declam. 274 p. 114 ed. Bip.

Nulla tanta providentia potuit esse eorum, qui leges componebant, ut species criminum complecterentur. Quint. Declam. 331 p. 276 ed. Bip.

Multa invenientur frequenter, quae legum verbis non teneantur, sed ipsa vi et potestate teneantur. *Id.* ib.

2. De iure.

Omnia sunt incerta, cum a iure discessum est.

Cic. Epist. ad fam. 9, 16, 3.

Sit summa in iure dicundo severitas, dummodo ea ne varietur gratia, sed conservetur aequabilis.

Cic. ad Quint. Fratr. 1, 1, 7, 20.

Via iuris eiusmodi est quibusdam in rebus, ut nihil sit loci gratiae. Cic. ad Quint. Fratr. 1, 2, 3, 10.

Summum ius summa iniuria. Cic. de off. 1, 10, 33.

Ius summum saepe summa est malitia.

Terent. Heaut. 4, 5, 47.

Summum ius antiqui summam putabant crucem.

Colum. R. R. 1, 7.

Non semper ad animum pertinent iura.

Quint. Declam. 335 p. 293 ed. Bip.

3. De iudicibus.

Sic agitur censura et sic exempla parantur,
Cum iudex alios quod monet ipse facit.

Ovid. Fast. 6, 647.

Severus in iudicando qui alios in se severos esse iudices non vult esse non potest.

Cic. de imp. Cn. Pomp. 13, 38.

Soleo audire in potestate esse iudicis mollire sententiam et mitius vindicare, quam iubent leges.

Augustin. Epist. 158.

Nemo est, qui sui periculi iudex non sibi se aequiorem quam reo praebeat. Cic. pro Deiot. 2, 4.

Decet eum, qui iudicat, probare quid in simili re ipse facturus fuerit. Quint. Decl. 3, 10.

Iudicis est semper in causis verum sequi.

Cic. de offic. 2, 14, 51.

Apud bonum iudicem argumenta plus quam testes valent. Cic. de rep. 1, 38, 59.

Iudicis officium est ut res, ita tempora rerum Quaerere. Ovid. Trist. 1, 1, 37.

Qui statuit aliquid parte inaudita altera,
Aequum licet statuerit, haud aequus fuit.

Sen. Med. 2, 199.

Omnem veritatis inquirendae rationem iudex omittit occupatus adfectibus. Quint. Inst. 6, 2, 6.

4. De accusatione. De defensione. De testimonio. De iureiurando. De periurio.

Iudiciorum ratio duplex est: nam ex accusatione et defensione constat, quarum etsi laudabilior est defensio, tamen etiam accusatio probata persaepe est.

Cic. de offic. 2, 14, 49.

Rem manifestam infitiari augentis est crimen, non diluentis. Plin. Epist. 4, 9.

Ut ignis in aquam coniectus continuo restinguitur et refrigeratur, sic refervens falsum crimen in purissimam et castissimam vitam conlatum statim concidit et extinguitur. Cic. pro Rosc. Com. 6, 17.

Oportet esse in civitate et accusatores.
Quint. Declam. 313 p. 211 ed. Bip.

Accusatores multos esse in civitate utile est, ut metu contineatur audacia. Cic. pro Rosc. Am. 20, 55.

Innocens si accusatus est, absolvi potest; nocens, nisi accusatus fuerit, condemnari non potest. *Id.* ib.

Utilius est absolvi innocentem, quam nocentem causam non dicere. *Id.* ib.

Non cum homine soleo, sed cum causa dissidere.
Cic. Phil. 11, 6, 15.

Homines magis defendenti quam accusanti favent.
Sen. Contr. 3, 20 p. 238 ed. Bip.

Causa patrocinio non bona peior erit.
Ovid. Trist. 1, 1, 26.

Cuique defensio tribuenda. Tacit. Ann. 13, 20.

Publice utile est absentes a quibuscumque defendi; nam et in capitalibus iudiciis defensio datur. Ubicumque itaque absens quis damnari potest, ibi quemvis verba pro eo facientem et innocentiam excusantem audiri aequum est. Ulpian. in Digest. 3, 3, 23, 2.

Vox constituto sera decreto venit. Sen. Med. 198.

Inimico testi credi non oportet. Cic. pro Font. 8, 16.

Iusiurandum est adfirmatio religiosa. Quod autem adfirmate quasi deo teste promiseris, id tenendum est.
Cic. de offic. 3, 29, 104.

In totum iurare, nisi ubi necesse est, gravi viro parum convenit. Quintil. Inst. 9, 2, 98.

Periurii poena divina exitium, humana dedecus. Cic. de legg. 2, 9, 22.

5. De excusatione peccati. De innocentia.

Puerum aetas excusat, feminam sexus, extraneum libertas, domesticum familiaritas. Sen. de ira 3, 24, 3.

Angusta innocentia est ad legem bonum esse. Quanto latius patet officiorum quam iuris regula! Sen. de ira 2, 28, 2.

Innocentia per se valet. Quint. Declam. 268 p. 89 ed. Bip.

Nihil est quod timeas, si innocens est. Quint. Decl. 294 p. 154 ed. Bip.

Securitatis magna portio erit nihil iniqui facere. Sen. Epist. 105, 7.

Magnum est praesidium in periculis innocentia. Sen. Contr. 16 p. 207 ed. Bip.

Non omnia sunt in eloquentia: est quaedam ita perspicua veritas, ut eam infirmare nulla res possit. Cic. pro Quint. 26, 80.

Verba innocenti reperire facile est, modum verborum misero tenere difficile. Curt. 6, 10.

Non semper iudicum culpa est, cum innocens damnatus erit. Quint. Declam. 266 p. 83 ed. Bip.

6. De culpa. De poena.

De culpa.

Proprium est nocentium trepidare. Sen. Epist. 97, 16.

Non prodest latere peccantibus, quia latendi etiam si felicitatem habent, fiduciam non habent. Sen. Epist. 97, 13.

Nocens habuit aliquando latendi fortunam, numquam fiduciam. SEN. Epist. 105, 8.

Multos fortuna liberat poena, metu neminem. SEN. Epist. 97, 16.

Culpam poena premit comes. HORAT. Od. 4, 5, 24.

Saepe in magistrum scelera redierunt sua. SEN. Thyest. 312.

Scelerum promissio et iis, qui expectant, perniciosa est et iis, qui promittunt. CIC. Phil. 8, 3, 10.

Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede poena claudo. HOR. Od. 3, 2, 31.

Multis fortuna parcit in poenam. PLIN. Nat. Hist. 16, 1, 1, 4.

Aequo animo poenam qui meruere ferunt. OVID. Amor. 2, 7, 12.

De damnatione.

Inaudita causa quemquam damnari aequitatis ratio non patitur. MARCIAN. in Pandect. 48, 17, 1.

De impunitate.

Quis ignorat maximam illecebram esse peccandi impunitatis spem? CIC. pro Mil. 16, 43.

Successus improborum plures allicit. PHAEDR. Fab. 2, 3, 7.

De poenis.

Omnis et animadversio et castigatio contumelia vacare debet, neque ad eius, qui punitur aliquem aut verbis castigat, sed ad reipublicae utilitatem referri. CIC. de off. 1, 25, 88.

Cavendum est, ne maior poena quam culpa sit et ne iisdem de causis alii plectantur, alii ne appellentur quidem. Prohibenda autem maxime est ira in puniendo, optandumque, ut ii, qui praesunt reipublicae, legum similes sint, quae ad puniendum non iracundia, sed aequitate ducuntur. Cic. de offic. 1, 25, 88.

Corrigendus est, qui peccat, et admonitione et vi, et molliter et aspere, meliorque tam sibi quam alii faciendus, non sine castigatione, sed sine ira.

Sen. de ira 1, 15, 1.

Summa professio stultititae est non ire obviam sceleribus cogitatis, sed manere opperirique, ut, cum admissa et perpetrata fuerint, tum denique, ubi quae facta sunt infecta fieri non possunt, puniantur.

Gell. N. Att. 7, 3.

Haec tacita lex est humanitatis, ut ab homine consilii, non fortunae poena repetatur.

Cic. Or. pro M. Tull. fragm. §. 51. p. 63 ed. Beier.

Numquam mens exitu aestimanda est.

Quint. Declam. 281 p. 135 ed. Bip.

Scelera quoque quamvis extra exitum subsederunt, puniuntur. Sen. Contr. 4, 7.

Videbis ea saepe committi, quae saepe vindicantur.

Sen. de clem. 1, 23, 1.

Non abnuo ea delictorum, quae grassari inmodice coeperunt, plus paene quam severe excidenda esse.

Aurel. Vict. de Caes. 20.

Tantum legibus severitatis addendum est, quantum flagitia creverunt. Symmach. 11, 13.

Facilius emendabis minore poena: diligentius enim vivit, cui aliquid integri superest. Sen. de clem. 1, 22, 1.

Civitatis mores magis corrigit parcitas animadversionum. Sen. l. l.

Verecundiam peccandi facit ipsa clementia regentis. Sen. l. l.

Pudorem tollit multitudo peccantium. Sen. de ben. 3, 16, 1.

In qua civitate raro homines puniuntur, in ea consensus fit innocentiae et indulgetur velut publico bono. Sen. de clem. 1, 23, 2.

Periculosum est ostendere civitati, quanto plures mali sint. Sen. ibid. 22, 2.

Minus gravis nota est, quam turba damnatorum levat. Sen. l. l.

Gravior multo poena videtur, quae a miti viro constituitur. Sen. l. l.

Acerbitas plerumque ulciscendi maleficii atque caute vivendi disciplina est. Gell. N. A. 20, 1.

Omnis poena non tam ad delictum pertinet, quam ad exemplum. Quintil. Decl. 274 p. 115 ed. Bip.

Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publica rependitur. Tacit. Ann. 14, 44.

Potest poena dilata exigi, non potest exacta revocari. Sen. de ira 2, 22, 4.

De supplicio.

Occidi non est poena, sed exitus. Quint. Decl. 11, 8.

Brevis poena mortis est. Quint. Decl. 275 p. 117 ed. Bip.

In infamia plus poenae ducimus quam in morte. Quint. Inst. 6, 2, 23.

Omne iniustum supplicium est, quod non est exactum secundum legem. Quint. Decl. 305 p. 182 ed. Bip.

Non minus principi turpia sunt multa supplicia, quam medico multa funera. Sen. de clem. 1, 24, 1.

V.

DE BELLO ET PACE.

1. De bello.

Bella homines non decent. Bellorum iniuriae.

Omnia prius experiri verbis quam armis sapientem decet: Terent. Eun. 4, 7, 19.

Non pudet homines, mitissimum genus, gaudere sanguine alterno et bella gerere gerendaque liberis tradere, cum inter se etiam mutis ac feris pax sit. Sen. Epist. 95, 31.

Silent leges inter arma. Cic. pro Mil. 4, 10.

Prosperum ac felix scelus
Virtus vocatur; sontibus parent boni,
Ius est in armis, opprimit leges timor.
Sen. Herc. Fur. 2, 251.

Naturae iura bellum in contrarium mutat. Curt. 9, 4.

Quae bella suscipienda sint.

Suscipienda bella sunt ob eam causam, ut sine iniuria in pace vivatur. Cic. de offic. 1, 11, 34.

Bellum ita suscipiatur, ut aliud nihil nisi pax quaesita videatur. Cic. de offic. 1, 23, 80.

Omnia quae ad bellum pertinent providenda.

Divitiarum secura possessio non est, nisi armorum defensione servetur. VEGET. R. M. 3, 3.

Numquam imperator ita paci credit, ut non se praeparet bello; quod etiamsi non geritur, indictum est. SEN. de vit. beat. 26, 2.

Diu apparandum est bellum, ut vincas celerius. PUBL. SYR. 126 p. 269 ed. Ribb.

Qui futuro se bello ante bellum paraverunt, compositi et aptati primum, qui tumultuosissimus est, ictum facile excipiunt. SEN. de consol. ad Helv. 5, 3.

Omnia inconsulti impetus coepta initiis valida spatio languescunt. TACIT. Hist. 3, 58.

De fortuna belli.

Fortuna belli semper ancipiti in loco est. SEN. Theb. 629.

Incerti sunt exitus et anceps fortuna belli. CIC. pro Marc. 5, 15.

Nusquam minus quam in bello eventus respondent. LIV. 30, 30.

Fortuna belli artem victos quoque docet. CURT. 7, 7.

Belli maxima momenta sunt in occasionibus. SEN. de ira 3, 21, 1.

Fama bella constant et saepe etiam quod falso creditum est veri vicem obtinuit. CURT. 8, 8.

Nihil est tam capax malignitatum sermonumque, quam bellum. QUINTIL. Decl. 11, 6.

De tumultu.

In tumultu festinatio quoque tarda est. Curt. 9. 9.

Insontibus innoxia consilia; flagitiis manifestis subsidium ab audacia petitur. Tacit. Ann. 11, 26.

De bellis civilibus.

Optima civilis belli defensio oblivio est.
Sen. Contr. 5 p. 341 ed. Bip.

Cives civibus parcere aequum est.
Corn. Nep. Thrasyb. 2, 6.

Bellorum civilium hi semper exitus sunt, ut non ea solum fiant, quae velit victor, sed etiam iis mos gerendus sit, quibus adiutoribus sit parta victoria.
Cic. Epist. ad fam. 12, 18, 2.

2. De imperatore. De exercitu. De militibus.

De imperatore.

Militaris sine duce turba corpus est sine spiritu.
Curt. 10, 6.

Mori praestat quam precario imperatorem esse.
Curt. 9, 2.

Ducis in consilio posita est virtus militum.
Publ. Syr. 128 p. 269 ed. Ribb.

Sciant homines bono imperatori haud magni fortunam momenti esse, mentem rationemque dominari.
Verba Q. Fab. dictat. apud Liv. 22, 25.

Laus imperatoria duci etiam victo redditur, si et prudentia et industria et fortitudo muneribus suis functa est.
Sen. de ben. 7, 14, 3.

Id est viri et ducis, non deesse fortunae praebenti se et oblata casu flectere ad consilium. Liv. 28, 44.

Dolō pugnandum est, dum quis par non est armis.
Corn. Nep. Hannib. 10, 4.

Miser est imperator, apud quem vera reticentur; qui cum ipse publice ambulare non possit, necesse est ut audiat et vel audita vel a plurimis roborata confirmet.
Capitol. Gordian. 3, 25.

De exercitu et de militibus.

Exercitus labore proficit, otio consenescit.
Veget. R. M. 3, 26.

Miles in media pace decurrit sine ullo hoste, vallum iacit et supervacuo labore lassatur, ut sufficere necessario possit. Sen. Epist. 18, 6.

Magni imperatores cum male parere militem vident, aliquo labore compescunt et expeditionibus detinent.
Sen. Epist. 56, 9.

Malus miles est, qui imperatorem gemens sequitur.
Sen. Epist. 107, 9.

Utilius est fortes milites esse quam grandes.
Veget. R. M. 1, 6.

Nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur
Venalesque manus; ibi fas, ubi maxima merces.
Lucan. 10, 407.

De virtute. De ignavia.

Marcet sine adversario virtus. Sen. de provid. 2, 4.

Virtutis uberrimum alimentum est honos.
Val. Max. 2, 6, 5.

Saepe honorata virtus est, etiam ubi eam fefellit exitus. Sen. Exc. Contr. 4, 7 p. 425 ed. Bip.

Habet hoc virtus, ut viros fortes species eius et pulchritudo etiam in hoste posita delectet Cic. in Pison. 22, 32.

Perditis rebus omnibus ipsa virtus se sustentare posse videtur. Cic. Epist. ad fam. 6, 1, 4,

Acerrima virtus est, quam ultima necessitas extundit. Sen. de clem. 1, 12, 5.

Nullus perniciosior hostis est, quam quem audacem angustiae faciunt, longeque violentius semper ex necessitate quam ex virtute corruitur. Sen. Quaest. Nat. 2, 59, 5.

Ignaviam necessitas acuit et saepe desperatio spei causa est. Curt. 5, 4.

Mater timidi fiere non solet. Corn. Nep. Thrasyb. 2, 2.

Nullus hostis contemnendus.

Nil tuto in hoste despicitur: quem spreveris, valentiorem neglegentia facies. Curt. 6, 3.

Proditori non credendum.

Nemo umquam sapiens proditori credendum putavit. Cic. in Verr. 2, 1, 15, 38.

Proditores etiam iis, quos anteponunt, invisi sunt. Verba Segest. apud Tac. Ann. 1, 58.

3. De victoria. De fuga. De morte. De servitute.

De victoria.

Causa iubet melior superos sperare secundos. Lucan. 7, 349.

Nulla perpetuam gratiam servat, nisi modesta victoria. Quint. Decl. 9, 19.

Victoria natura est insolens et superba. Cic. pro Marc. 3, 9.

Non est diuturna possessio, in quam gladio inducimur: beneficiorum gratia sempiterna est. Curt. 8, 8.

Nulli, etiam cui rapina feliciter cessit, gaudium rapti duravit in posterum. Sen. Epist. 74, 7.

Facilius est quaedam vincere, quam tueri; expeditius manus nostrae rapiunt, quam continent. Curt. 4, 11.

Nulla umquam tam incruenta victoria contigit, quae non haberet aliquam tristitiae recordationem.

Quint. Decl. 272 p. 107 ed. Bip.

Occulta consilia victoriae furtivae conveniunt.

Iustin. Hist. 11, 6, 4.

De fuga.

Perniciosior hostis est fugientibus. Sen. Epist. 78, 17.

De morte.

Effugit mortem quisquis contempserit, timidissimum quemque consequitur. Curt. 4, 14.

In fuga foeda mors est, in victoria gloriosa.

Cic. Phil. 14, 12, 32.

De servitute.

Servitus postremum malorum omnium, non modo bello, sed morte etiam repellendum. Cic. Phil. 2, 44, 113.

4. De pace.

Quid sit pax.

Pax est tranquilla libertas. Cic. Phil. 2, 44, 113.

Pax decet homines.

Nomen pacis dulce est et ipsa res salutaris.

Cic. Phil. 2, 44, 113.

Candida pax homines, trux decet ira feras.
OVID. A. A. 3, 501.

Pax optima rerum,
Quas homini novisse datum est; pax una triumphis
Innumeris potior. SIL. ITAL. Pun. 11, 594.

Nulla salus bello; pacem [te] poscimus omnes.
VERGIL. Aen. 11, 362.

Pax bello paranda.

Qui desiderat pacem, praeparet bellum.
VEGET. R. M. 3. prolog.

Paritur pax bello. CORN. NEP. Epam. 5, 4.

Certa pax speratae victoriae praeferenda.

Melior tutiorque est certa pax quam sperata victoria. LIV. 30, 30.

Leges a victoribus victis praescribuntur.

Leges a victoribus dicuntur, accipiuntur a victis.
CURT. 4, 5.

Victis ignoscendum.

Bellorum egregii fines, quotiens ignoscendo transigitur. TAC. Ann. 12, 19, 3.

BREVIS INDEX

PRAECEPTORUM ET SENTENTIARUM

QUAE

HOC LIBELLO CONTINENTUR.

A. DE DEO.

I.

Pag

Deum esse certum est isque hominibus colendus . 1

1. Deus a solo homine cognoscitur. Nulla non gens aliquos deos colit. — 2. Deus ex operibus cognoscitur. — 3. Frustra agunt qui in dei locum naturam substituunt. — 4. Poenis adficiendi qui religionem minuunt.

II.

De dei potentia, praesentia, iustitia, benignitate . 2

1. Deus omnia efficere potest. — 2. Deo sunt omnia subiecta. — 3. Deus omnibus locis et omni tempore praesens est. — 4. Deus iustissimus est. — 5. Deus omnibus pariter beneficia tribuit. — 6. Deus in homines indulgentissimus.

III.

De dei cultu 3

1. Deus hominum cultum non desiderat. — 2. Quomodo deus ab hominibus colendus sit. — 3. Omnium rerum initia a deo capienda. — 4. Deo confitendum. — 5. Aperte agendum cum deo. — 6. Precationes ad deum faciendae, sed quales? — 7. Dei cultum feliciores neglegunt. In rebus adversis homines sunt religiosi. — 8. De superstitione. — 9. Omnia a rerum primordiis constituta et fixa. — 10. De dei ministris.

B. DE MUNDO ET DE RERUM NATURA.

Pag.

I.

De universo mundo 7

1. Mundus a deo factus sapientissimo consilio. — 2. Mundus a deo administratur et regitur. — 3. Mundus est dei templum. — 4. Mundus est aeternus, sed singulae eius partes non eaedem manent.

II.

De caelo 8

III.

De sideribus 8

1. De sideribus. — 2. De stellis fixis — 3. De planetis. — 4. De cometis.

IV.

De sole 10

V.

De luna 10

VI.

De terra 11

1. Terra pilae formam habet et est minima pars mundi. — 2. Homines sunt cultores terrae constituti. — 3. Terra nos alit. — 4. De patria terra. — 5. Quaevis terra ingeniosos homines alit, quaevis terra malum aliquod emittit. — 6. Locorum situs quam vim adferat ad hominum ingenia et vitam. — 7. Locorum quorundam cultus et admiratio. — 8. Homines proxima neglegunt, sectantur longinqua. — 9. De peregrinationibus.

Pag.

C. DE NATURA EIUSQUE COGNITIONE. 16

1. Nihil temere et sine causa genuit natura. — 2. Nihil per se magnum. Insolita raro gignuntur. Nulla sunt portenta. Singula curiose investiganda. — 3. Artis opera cum natura non comparanda. — 4. Naturae maxima varietas. — 5. Naturae benignitas. — 6. Natura non se accommodat ad hominem. — 7. Natura optima magistra. — 8. Naturam nosse operae pretium est. — 9. Non tam facile nec brevi tempore haec cognitio paratur.

D. DE HUMANO GENERE. DE HOMINUM REBUS ET INSTITUTIS.

AA. De hominis natura atque indole. De humanarum rerum condicione.

I.

De humano genere 20

1. Homo animal praeclara ratione generatum. Est dei imago. — 2. Omnes homines unum corpus efficiunt. — 3. Homines pereunt, humanum genus non perit.

II.

De nascendi condicione 20

III.

De origine. De genere 21

1. De natali die. — 2. De genere.

IV.

De vitae aetatibus 23

1. De pueritia. — 2. De iuventute. — 3. De constanti aetate. — 4. De senectute.

Pag.

V.

De vitae brevitate. De temporis parsimonia . . 25

1. De temporis velocitate. — 2 Tempus praeteritum numquam revertitur — 3. Tempore utendum. Matutini temporis usus. De vigiliis. — 4. Vita brevis est et incerta. — 5. De recto vitae usu.

VI.

De universa vita. De humanarum rerum condicione. De fortuna et fato. De rebus secundis. De rebus adversis 30

1. De universa vita. — 2. Omnia humana fragilia et caduca. — 3. De rerum vicissitudine et mutatione. — 4. De fato. — 5. De necessitate. — 6. De fortuna. — Fortuna quam vim habeat in rebus humanis. Fortuna fortes iuvat. Suae quisque fortunae faber. Fortuna caeca est et occaecat homines. Fortuna inmoderata est. Fortuna levis est. Fortuna varia est et inconstans. Fortuna nemini quicquam praestat. Quae fortuna possit eripere, quae non. — 7. De felicitate. De rebus secundis. — Nemo mortalium felix. Incerta felicitas. Maximae fortunae minime credendum. Nimiae felicitatis quae incommoda. Res secundae quomodo adficiant animos hominum. Prospera fortuna dignum esse decet. Res secundae quo animo ferendae. — 8. De rebus adversis. De malis. — Quae mala molestissime ferenda. Miserrimus qui ex beato miser factus est. Miseri sunt superstitiosi. Malum nullum sine aliquo bono. Non singula mala ingruunt. Malorum sensus accrescit. Calamitatis solacium sortem suam nosse. Miseriae solacium ex aliorum miseria. Miserum interdum miseria iuvat. Res adversae quomodo ferendae. Praeteritorum malorum iucunda recordatio.

Pag.

BB. De singulorum hominum victu. De corpore. De animo. De mente. De ratione. De ingenio. De iis, quae cum his sunt coniuncta aut eo spectant.

a. DE CORPORE.

I.

De corpore et de corporis cura 43

1. De corpore. — 2. De sensibus. De rerum specie. — 3. De forma et pulchritudine. De deformitate. — 4. De vestimentis. — 5. De cibo. — 6. De potu. De vino.

II.

De corporis recreatione. De otio. De ambulatione. De vectatione. De somno. De lusu. De feriis. De festis diebus 48

1. De corporis recreatione. — 2. De otio. De remissione et modica voluptate. — 3. De ambulatione. De vectatione. — 4. De somno. — 5. De lusu. — 6. De feriis. — 7. De festis diebus.

III.

De labore. De industria et adsiduitate. De desidia et ignavia. De otio 50

1. De labore et voluptate. — 2. Diligentia et usus plurimum valet. — 3. Desidia hebetat et corrumpit corpus. — 4. Otium quomodo discutiatur. — 5. De desidiae praetextu.

IV.

De tuenda valetudine. De vitae amore 53

De valetudinis cura. Vita non summum bonum.

Pag.

V.

De morbis 55

1. De morbis. — 2. De morborum remediis.

VI.

De morte. De sepultura 56

1. De morte. — Mors non optanda aut quaerenda. Mors voluntaria improbanda. — 2. De sepultura.

b. DE ANIMO. DE MENTE ET RATIONE. DE VIRTUTE. DE VITIO. DE INGENIO. DE EDUCATIONE. DE ARTIBUS ET LITTERIS. DE ANIMORUM INMORTALITATE.

I.

De animo. De animi statu sano et aegro . . . 59

1. Quid intersit inter animum et rationem. — 2. De quieto et placido animi statu. De animi morbis. — 3. Animi adfectus in nostra potestate sunt. De sui imperio. De libertate. De servitute. — 4. Remedium in tempore positum. — 5. De animi securitate et tranquillitate. De aequo animo. De moderatione. — 6. De sui amore. — 7. De iis qui sorte sua contenti sunt. De iis, qui in sorte sua non adquiescunt. — 8. De mediocritate. Modus in omnibus servandus. — 9. De animi generositate et magnitudine. — 10. De honoris studio. De pudore. — 11. De audacia. — 12. De nimia fiducia. — 13. De patientia. — 14. De constantia. De pertinacia. — 15. De nova cognoscendi cupiditate. De curiositate. De imitandi studio. — 16. De consuetudine. De antiquitatis admiratione. — 17. De spe. — 18. De periculorum metu, contemptu, fuga. — 19. De desperatione. —

Pag.

20. De voluptate. De inlecebris voluptatis. Voluptas cito transit. Voluptas plurimorum malorum causa. Nemo non voluptate trahitur. Nitimur in vetitum. Omnis mora cupientibus ingrata. Voluptatis satietas. — 21. De gaudio. — 22. De laetitia. De risu. — 23. De dolore. — 24. De dolentium lacrimis. — 25. De tristitia. — 26. De sollicitudine. — 27. De metu et timore. — 28. De ira.

II.

De mente et ratione 75

1. Quid sit mens et ratio. — 2. De mentis et rationis praestantia. — 3. De iis, quae intellegentiae officiunt. Homo ignarus futuri temporis. — 4. De investigandi sollertia. — 5. De veritate sive de eo, quod verum est. — 6. De sapientia. De prudentia. — 7. De consiliis capiendis. De deliberatione. — 8. Suae cuique vires respiciendae. — 9. Consultis facta coniungenda. Occasione utendum. — 10. Principia omnium rerum minime neglegenda. — 11. De festinatione et temeritate. De tarditate et procrastinatione. — 12. De consiliis non ex eventu iudicandum. — 13. De stultitia et errore.

III.

De honesto s. de virtute. De turpi s. de vitio . 86

1. Virtus quid sit. — 2. Virtute nihil praestantius. Virtus usquequaque magni aestimatur. — 3. Virtutis praemium in ipsa est. Eam sequitur laus et gloria. — 4. Sola virtus perpetua possessio. — 5. Virtus omnibus patet, sed arte et exercitio paranda est. — 6. Via ad virtutem aliis facilis, aliis ardua visa, nulli saltem invia. — 7. Virtus qualis esse debeat. Quomodo virtus colenda sit. — 8. Quid sit vitium. — 9. Vitia sunt cuius-

Pag.

vis aetatis. omnium hominum. Multitudo peccantium pudorem tollit. — 10. Homines a maiorum virtute magis magisque degenerant. — 11. Proclives sumus ad vitia. Vitiis maturo occurrendum. — 12. Vitiis patrocinamur. — 13. De morum emendatione. — 14. De recti et mali conscientia.

IV.

De ingenio. De ingenii operibus. De inventis . 95

1. Quaevis aetas ingeniorum ferax. — 2. Ingeniosi homines fautricem naturam habent, sed in multis rebus ab aliorum more discedunt. — 3. De praematuri ingenii hominibus. — 4. Ingeniis inimica luxuria. — 5. Ingenium quantum valeat. — 6. De ingeniorum libertate. — 7. Ingeniorum dignatio. — 8. De inventis. — 9. De rerum inventoribus.

V.

De educatione et institutione. De scholis. De praeceptoribus et discipulis. De aemulatione. De memoria. De praeceptis. De exercitatione. De lectione. De libris 99

1. De educatione. — 2. De institutione. — Cognitionis desiderium laudabile. De animi intentione. In iuventute discendum. Quae didiceris tenenda. Institutionis utilitas. — 3. De scholis publicis. — Magnae scholae fugiendae. Optimi in scholis publicis praeceptores. Unus praeceptor pluribus sufficit. Amicitiae in scholis publicis iunguntur sanctissimae. Sensus communis in iisdem discitur. Habet ibi puer quos aemulari possit. De perversa scholarum ratione. Gratus animus scholae servandus. — 4. De praeceptoribus et discipulis. — Quid utrisque conveniat. De praeceptoribus.

Pag.

De discipulis et auditoribus. Praeceptorum frequens mutatio nocet. — 5. De memoria. — 6. De praeceptis. De partitione. De exemplis. — 7. De exercitatione. — 8. De lectione. De libris.

VI.

De artibus. De litterarum studiis. De doctrinae disciplinis 108

1. De artibus. — Quid sit ars. De arte universa. De opificiis. De artibus, quae proprie dicuntur. De arte pingendi. De arte fingendi. De musica. De arte histrionica. — 2. De litterarum studiis. — Litterarum studium ad humanitatem confert. Litterarum studia homines iungunt. Doctrinae vis. Doctrinae honor habendus. Ad indolem doctrina accedere debet. Omnes artes inter se coniunctae. Studiorum quae ratio instituenda sit. Doctrina diligentia paratur. Studiorum varietas. Non omnia simul tractanda. Non nova semper proferri possunt. Studiorum fructus iucundi. Fontes ipsi adeundi. Doctorum hominum existimatio. Litterarum sacraria. Docti non iidem boni. Docti homines aetatis vigorem servant. Vita in litteris collocanda. Vita sine litteris non vitalis. — 3. De doctrinae disciplinis. De poesi. De philosophia. De historia. De eloquentia. De medicina. De iurisprudentia.

VII.

De animorum inmortalitate 121

CC. De familia sive de hominum foedere domestico. De aliis rebus huc pertinentibus 123

1. De familia. — 2. De familiarum lapsu. 3. De vita domestica. — 4. De matrimonio. De amore maximeque coniugali. De pudicitia. — 5. De parentibus. De pietate in parentes. De patre fami-

Pag.

lias. De mulieribus. De matre familias. — 6. De liberis. — De liberorum amore. De liberorum inter se caritate. Liberi aliquando a parentibus desciscunt. — De liberorum educatione. De indulgentia in liberos. — 7. De rei familiaris cura. — 8. De domo. De agris. De agrorum cultura. — 9. De pecunia. — 10. De divitiis. — 11. De rei familiaris iactura. — 12. De paupertate. De egestate. — 13. De aere alieno. — 14. De parsimonia. — 15. De avaritia. — 16. De profusione. De luxuria.

DD. De hominum inter se consociatione et communitate.

I.

De hominum consociatione 135

1. De solitudine. — 2. De societate. — Ad congregationem nati sumus. Sunt plures societatis gradus. De socio et convictore. De comitibus. — De circulis et conviviis. De hospitio. — 3. De usu et consuetudine. — De congregatione. Qualem in aliorum usu te praebeas. De commercio. De mercatura.

II.

De sermone 139

1. De linguae usu et abusu. De cautione in loquendo. De silentio. — 2. De adfabilitate. De iocis et facetiis. — 3. De veritate. De simulatione et occultatione. De taciturnitate. De mendacio. — 4. De gratulatione. — 5. De adsensione. De adulatione. De dissensione. — 6. De credulitate. De fide. — 7. De admonitione et adloquio. — 8. De consiliis dandis. — 9. De reprehensione et obiurgatione. De altercatione. De maledicto. — 10. De epistularum commercio. — 11. De rumore

Pag.

et fama. De existimatione. De posterorum iudicio. De laude et gloria.

III.

De amore et odio 150

1. De amicitia. — 2. De amore et odio. De reconciliatione. — 3. De concordia et discordia. De obsequio. De contentione. — 4. De gratia et favore. De commendatione. — 5. De invidia. De superbia et fastu. — 6. De suspicaci animo. De malignitate. — 7. De simulatione. De fide.

IV.

De humanitate 160

1. De humanitate, quae proprie dicitur. — Solus animantium homo homini infestus. — 2. De clementia et miseratione. — De precibus et imperiis. — De indulgentia in alios. De severitate in se. 3. De beneficentia et liberalitate. In beneficiis dandis et accipiendis quae cautio adhibenda sit. De grato animo. — 4. De iustitia. De iniuriis inlatis. De minis. De insidiis. De ultione.

EE. De republica.

I.

De civitate et de republica 168

1. Quid sit civitas. — 2. Quae sit civitatis causa. 3. Civitates rerum vicissitudini subiectae. — 4. Nullae nationes deleri possunt nisi sua culpa. — 5. De civitate, cuius communione tenemur, sive de patria. — 6. De patriae caritate.

II.

De republica moderanda 170

1. Imperii quieti quae facies. — 2. De imperii maiestate. — 3. De sapientia et moderatione in

Pag.

republica administranda. 4. Quae potentia sit tuta. — 5. Imperium legitimum et iustum esse debet. — 6. Certissimum imperii fundamentum in amore positum. — 7. De iis, qui praesunt reipublicae. — 8. De honoribus et dignitatibus. — 9. De iis, qui parent. — 10. De universo populo. — De optimatibus et potentioribus in civitate. De multitudine. De vulgo. De humilioribus. De servis. — 11. De suffragiis. — 12. De tributis. — 13. De rerum publicarum conversionibus.

III.

De rerum publicarum generibus 177

1. Quae sint rerum publicarum genera. — 2. De vitiis, quae horum generum sint propria. — 3. Nullum ex iis per se separatum probandum. — 4. De republica libera. — 5. De regno. De regibus. — Regnum per se optimum. Regnum naturae conveniens. Regale nomen sanctum. Bene imperare est ars. Reges aliis sunt exemplo. De bonis regibus. De regum potentia. Quae virtutes reges maxime deceant. De regum clementia. De tyrannis. De regum aula. De regum adulatione. Regum gratia quomodo utendum sit. De regiae potentiae ministris.

IV.

De legibus et de iudiciis 185

1. De legibus. — 2. De iure. — 3. De iudicibus. — 4. De accusatione. De defensione. De testimonio. De iureiurando. De periurio. — 5. De excusatione peccati. De innocentia. — 6. De culpa. De damnatione. De impunitate. De poenis. De supplicio.

V.

De bello et pace 193

1. De bello. — Bella homines non decent. Bel-

Pag.

lorum iuiuriae. Quae bella suscipienda sint. Omnia quae ad bellum pertinent providenda. De fortuna belli. De tumultu. De bellis civilibus. — 2. De imperatore. De exercitu et de militibus. De virtute. De ignavia. Nullus hostis contemnendus. Proditori non credendum. — 3. De victoria. De fuga. De morte. De servitute. — 4. De pace. Pax bello paranda. Certa pax speratae victoriae anteponenda. Leges a victoribus victis praescribuntur. Victis ignoscendum.

ERRATA.

Pag.	IX	l. 7	inf.	lege optimo pro optime
—	X	l. 5	„	„ muneri pro nuneri
—	12	l. 12	„	„ Nescio pro Nescis
—	13	l. 3	„	„ quaedam pro quaedem
—	68	l. 7	sup.	„ Damnatos, pro Damnatos.
105 —	~~102~~	l. 5	„	„ in pro n
—	111	l. 2	„	„ est pro es
—	174	l. 15	„	„ imperium pro impeirum
—	175	l. 7	inf.	„ incitatur pro incitantur

In meinem Verlage erschien und kann durch jede Buchhandlung bezogen werden:

Ahrens, Dir. Dr. **H. L.**, über die Conjugation auf μι im homerischen Dialecte. 1838. 10 Sgr.

Bornhak, Dr. **G.,** Grammatik d. hochdeutschen Sprache. Zum Verständniss des Alt-, Mittel- u. Neuhochdeutschen f. d. oberen Klassen gelehrter Schulen, wie f. d. Privatstudium bearb. 1. Theil. Die Orthoepie u. Etymologie. 1862. 10 Sgr.

Eckenberg, Dr. **F. G.**, Hermaeen aus dem Alterthume in Bezug auf Politik u. Gesetzgebung. 1. Theil: Politik. 1856. 18 Sgr.

Förstemann, Prof. Dr. **Ernst,** Altdeutsch. Namenbuch.
I. Band: Personennamen. 1856. 9 Thlr.
II. Band: Ortsnamen. 1859. 10 Thlr.

— die deutschen Ortsnamen. 1863. 2 Thlr.

— de comparativis et superlati is linguae graecae et latinae commentatio. 1844. 7½ Sgr.

Kehrein, Dir. **Jos.**, Sammlung alt- u. mitteldeutscher Wörter aus lateinischen Urkunden. Zugleich eine Ergänzung d. lexical. Werke v. Graff, Müller-Zarncke, Förstemann. 1863. 20 Sgr.

Rüstow, W., Oberst-Brigadier, Geschichte d. Infanterie. 2 Bde. M. 132 eingedruckten Holzschn. 1857. 58. 4 Thlr.

— Heerwesen u. Kriegführung C. Julius Caesars. Mit d. Portrait Caesars nach e. antiken Büste im K. Museum in Berlin und drei lithograph. Tafeln. Zweite, verb. Auflage. 1862. 1 Thlr.

Schirlitz, Dir. Dr. **K. A.,** Schulreden, gehalten im Gymnasium zu Nordhausen. Zweite Ausg. 1850. 15 Sgr.

— Neue Schulreden, gehalten im Gymn. z. Nordhausen. 1853. 15 Sgr.

Volckmar, Oberlehrer Dr. **C.,** Poëmatia latina. Aus der anthologia latina, Virgilius, Martialis et Statius. Mit anmerkungen für schulen. 1852. 15 Sgr.

Nordhausen. **Ferd. Förstemann's Verlag.**

HALIS SAX. FORMIS HENDELIIS.

NOV 14 1885
NOV 15 1889
MAY 4 1917
DUE MAY 25 1920
DEC 30 1921
JAN 31 1922
DUE MAY 25 1922